

SAPIENTER · SI · SINCERE

ΙΩΑΝΝΟΥ ΣΤΟΒΑΙΟΥ
ΑΝΘΟΛΟΓΙΟΝ.

JOANNIS STOBÆI
FLORILEGIUM.

AD MANUSCRIPTORUM FIDEM EMENDAVIT ET SUPPLEVIT

THOMAS GAISFORD, A.M.

GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSOR REGIUS.

VOL. IV.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

MDCCCXXII.

IOANNIS STOBÆI

FLORILEGIUM

AD EPIMIUM.

IOANNIS STOBÆI
FLORILEGIUM
AD EPIMIUM FILIUM
SIVE
COLLECTANEORUM LIBER
SCITE DICTA ET PRÆCEPTA CONTINENS

LATINO CARMINE REDDITUS AB HUGONE GROTIO.

TITULUS I.
DE VIRTUTE, ET QUOMODO SECUNDUM VIRTUTEM VIVENDUM SIT.

1. *Sophocles Eriphyle.*

VIRTUTIS una, quæ manet, possessio est.

2. *Euripides Andromacha.*

Quod reliquum bonis
Post mortem superest, nulla abolet dies.
Virtus incolumis post cineres micat.

3. *Idem Œdipo.*

Non solus ille est quem dat argenti nitor
Aurique nummus, sed genus potissimum
Nummi, ipsa virtus, usuique aptissimum.

4. *Idem Temenesi.*

Virtus, ubi quis interit, non interit,
Sed vivit et post corpus: at si quis malus
Intereat, ejus cuncta sub terram cadunt.

5. *Idem.*

Pudet pigetque recta sectantem virum
Pravum vocari. Scilicet disci potest
Et ipsa virtus: sensus infantum rudis
Quæ nescit audit, inde conatur loqui:
Tum quæ puer quis didicit, hæc gaudet senex
Meminisse: tantum est indoli formam dare.

6. *Incertus.*

Virtute nulla carior possessio est,
Quæ nescit auro sola se servam dare,
Vitæve amori, vel Quiritum plausibus.
Virtute quo quis utitur magis ac magis,
Hoc illa crescens se fit excellentior.

7. *Euripides.*

Humana virtus omnia antistat bona.

8. *Idem Antiopa.*

Tria justa, fili, te peræquum est discere:
Deos vereri, deinde genitores tuos,
Tum sancta Graiis jura. Quod si feceris,
Stat pulchra tibi corona rumoris boni.

9. *Bacchylides.*

[a] Unus ad felicitatem callis est mortalibus,
Absque cordolio quod ævi contigit transmittere.

10. *Incertus.*

[b] Mali est levamen esse sine negotio.
Quod indecorum est tu nec audi, nec vide.
Mens sana sano corpore est præstantior.
[c] Modestia est servanda cœnanti foris.
[d] Perhibere vera semper ingenuum decet.
Mores tueri liberos magnum puta.
Te liberum ipse moribus præsta tuis.
Virtutis omnis horreum modestia est.

[a] Refer ad Tit. CVIII.
[b] Refer ad Tit. XXX.
[c] Refer ad Tit. V.
[d] Refer ad Tit. XI.

Quantum potes fac mentis ut curam geras.
Mores decori frugis est pulchræ seges.
Composita recte vita pulchra obventio est.
Curanda res est ex decoro vivere.
[e] Beatus ille quoi beatus imperat.
Virtus hominibus implet armorum vicem.

11. *Incertus.*

Nunquam bono est exosus alter vir bonus.
Quippe opera recta sensus recti proserunt.
Bonis hominibus quid nisi bona det Deus?
Bonos probosque colere et imitari decet.
Est moris explorator humani dies.

12. *Aristoteles Hymno in Virtutem.*

Recte vel nimio labore constans
Et quovis pretio petenda Virtus:
Te propter, Dea pulchra, te jubente
Graiis dulce mori: nihil labores,
Et tristes nihil expavere casus.
Tu sævo vetitum perire leto
Semen mentibus inseris beatum,
Præ qua spernitur et superba gaza
Et dulcis sopor et boni parentes.
Te propter Jove prosati supremo
Alcmenæ soboles genusque Ledæ
Tot casus subiere, tot pericla,
Quid possent avidi docere factis.
Te propter facibus tuis calentes
Ajax inclitus et ferox Achilles
Iverunt Stygias videre portas.
Propter dulce tuæ decus juventæ
Præclari generosa stirps Atarnei
Decrevit radiis carere Phœbi:

[e] Refer ad Tit. LXII.

Quem nunc carmine nescio perire
In laudem Jovis Hospitis celebrant
Proles Mnemosynæ novem Camænæ.

13. *Philippides Ananeusa.*

Ne turpe vinci, si quid erraris, puta:
Hæc namque vera est ad bonam frugem via.

14. *Epicharmus.*

Cuncta sapiens prævidebit, pœnitebit sic nihil.

15. *Scriptor aurei Carminis.*

Res has superare memento,
Ingluviem, somnumque, simulque libidinis arma,
Irarumque faces. Nihil adjutoribus aude
Turpe aliis, solusque nihil: te disce vereri.
Justitiam factisque simul verbisque celebra.
In re vel minima peccare assuescere noli.
Omnibus esse mori genitis fatale memento.
Res et opes quærique solent iterumque perire.

16. *Solon.*

Sæpe mali dites, et fortibus instat egestas:
At mihi virtutis munera divitiis
Permutare nefas; manet usque immobilis illa,
At fluxas nunc hic, nunc habet alter opes.

17. *Hesiodus Operibus.*

Improbitas nullo datur amplectenda labore;
Tam prope nos habitat; tam molli calle petenda.
Sudorem ante aditum virtutis Dî posuerunt.
Et longa huc et celsa simul via ducit euntem,
Ardua principio: sed ubi est ad culmina ventum,
Incipiet molli sese submittere clivo.

Paulus Silentiarius. [Anthol. Pal. X. 74.]

Nec ridens Fortuna suo te sublevet æstu,
Nec libertatem sequior aura domet.
Cogitur adversis hæc vita obnoxia ventis,
Nunc huc, nunc illuc, tracta, retracta sequi.

Virtus sola manet non mobilis: hæc tibi præstat
Securum vitæ per mare navigium.

TITULUS II.

DE VITIO.

1. *Demetrius.*

Addicta pravis mens ad insidias patet:
Intenta nempe quæstibus semper suis,
Et temere credit, et ruit cæco impetu.

2. *Axionicus.*

Quoties probus vir improbo pecuniam
Credit, dolorem recipit usuræ loco.

3. *Antiphanes.*

Qui cum sit opulens nequiter quicquam facit,
Hunc si esset pauper quid non facturum putas?

4. *Menander Pellice.*

Consilia versat multa qui pravis studet.

5. *Idem.*

Cum recta fatur improbum odi maxime.

6. *Idem.*

Rationis actu nescit improbitas regi.

7. *Æschylus.*

Homini crimen assignat Deus,
Eruere quoties funditus statuit domum.

8. *Euripides Ixione.*

Justi capesse nomen, at facta occupa
Quidvis agentis: parta sic tibi res erit.

9. *Sclerias.*

Multos videre est oris ingenui et probi,
Sed queis in animo liberale sit nihil.

10. *Philippides.*

[f] Calumniator, quamvis inclemens, minas
Duas si dederis, agno abibit mollior.

[f] Refer. ad Tit. XLII.

11. *Hesiodus Operibus.*

Nulla boni justique et fas servantis et æquum
Gratia: laudatur scelerum fraudisque repertor,
Et vi cuncta trahens: nusquam pudor: aurea nusquam
Justitia: insultant pravi potioribus ultro
Falsiloquo sermone, sed et jurare parati.
Invidia a tergo miseris mortalibus instat
Læta malis, immane tuens, sæva omina portans.

12. *Zenodotus.*

Virtute laus paratur, ignavis pari
Tam vita quam mors transit in silentio.

13. *Hesiodus Operibus.*

Non mihi nunc igitur, non qui de sanguine nostro
Natus erit, juste sit vivere: noxia namque
Justitia est, cum jura magis pejoribus adsint.

14. *Ibidem.*

Vicinus malus, atra lues: bonus, optima merx est;
Quem qui indeptus erit, mactum se credat honore.

15. *Euripides Bellerophonte.*

Utcunque malis commodat auras
Fortuna suas, utcunque ferox,
Partas subito cum spectat opes,
Raptor spreto jure superbit,
Nihil heic stabile est tutumque nihil.
Negat heredem res rapta sequi.
Tempus nullo genitore satum
Æquat normis omnia rectis,
Tandemque malas detegit artes.

16. *Idem Medea.*

Deus, quid hoc est! si fides auri fuit
Suspecta, sunt, te dante, quæ cernant notæ:
Justos iniquis signa quæ discriminent,
Nulla invenire est corpore in mortalium.

17. *Sophocles Tenye.*

Ætate in ista quam nihil recti est super:
Pravos tot inter qui sapit solus perit.

26. *Philemon Circulatore.*

Quam prava tota est indoles mortalium,
Quæ cæteroqui non egeret legibus?
Tun' credis hominem relliquis animantibus
Differre? nihilum distat, hoc demto tamen,
Quod alia cum sint prona, rectum animans homo est.

27. *Idem.*

[g] At cur Prometheus fictor humani gregis
Animantiumque reliquorum, unam singulis
Generibus bestiarum naturam dedit?
Immane cunctis robur est leonibus:
Ingenium pavidum lepores nusquam non habent:
Nec inter vulpes alia vafris moribus,
[h] Simplicibus alia est: quin tricena vulpium
Si forte millia in unum contraxis locum,
Erit per omnes unus ingenii tenor.
At inter homines quot sunt numero corpora,
Totidem videre est studia et vivendi modos.

28. *Sophocles Ajace.*

[i] Abeo: probrosum namque si quis me audiat
Corripere dictis, quem sit ulcisci manu.

29. *Idem Phædra.*

Abeo: nec etenim dicta quæ promo, tibi
Laudare cordi est, nec mihi mores tuos.

[g] Refer ad Tit. XCVIII.

[h] Sic em. Grotius: olim, *Alia est severis.*

[i] Refer ad Tit. XXXVI.

TITULUS III.

DE PRUDENTIA.

1. *Æschylus.*

Adesto rebus, quodque oportet hoc age.
Non multa qui scit, sed quod est ex re, sapit.

2. *Sophocles.*

Quæstus non potest major dari,
Quam mens subacta regulis prudentiæ.

3. *Menander.*

Per mille nobis Dî sutelarum modos
Imponunt: ut qui plus ingenio polleant.

4. *Incertus.*

Etiam celari si quid te cognoveris,
Ne præ te ferto. Nam res perplexissima est
Id scire, te quod alius celatum velit.

5. *Sophocles Ajace.*

Si dabitur istis moribus licentia,
Jam nulla poterit perrogari sanctio:
Si jure victor vi mera exturbabitur,
Postrema primi, prima postremi ferent.
Quin ista sunt linquenda. Non populi sita est
In mole vasta corporis securitas,
Sed mente quisquis præstat, imperium obtinet.
Bos latera tantus sub magisterio tamen
Tenuis flagelli rectus incedit viam.

6. *Menander Incito.*

Qui valet prudentia,
Is vero est vates et consultor optimus.

7. *Idem.*

Rerum optimarum effectrix est sollertia,
Ad recta et sana sese si converterit.

8. *Sophocles Alete.*

Tranquillus animus, conscius recte sibi,
Multa aptus est reperire quæ vafros latent.

9. *Menander.*

In ætate hominum nîl, pater, præstantius
Ratione est et consilio. Nam res qui ordinat,
Viasque agendi recte disponit, sibi
Est princeps, imperator, consiliarius,
Tribunus plebis. Cuncta habet cui mens adest.

10. *Æschylus.*

Sapiente qui plus sapiat est cum fallitur.

Idem.

Justos nec ipse Juppiter spernit dolos.

11. *Menander.*

Prudentiæ subjecta parent omnia.

12. *Euripides Antiopa.*

Tu corpus in me molle et infirmum secus
Non jure culpas. Si mihi sapientia
Concessa, plus hoc quam lacertorum tori.

13. *Sophocles.*

Quod visus oculis, mens id esse animis solet.

14. *Incertus.*

Juvare miseros optimis dignus labor.

15. *Incertus.*

At sapere recte numinis magni loco est.

16. *Agatho.*

Fortuna lapsa est nobis, non prudentia.

17. *Chæremon.*

Non criminaris, ut putas, prudentiam:
Quod optimum est, honore dignum est maximo:
Qui sapere didicit, cuncta complexus tenet.

18. *Euripides Erechtheo.*

[k] Cum justa poscas, nate, quod poscis dabo.
Nam tibi dat ætas sapere: nec me mortuo

[k] Refer ad Tit. XLVIII.

Sententiarum vis paternarum excidet.
Dabo ergo gemmas quæ juventutem juvent,
Sermone quamvis multa complectens brevi.
Benignus esto semper et tractabilis:
Nec diviti largire plus quam pauperi.
Da te fruendum pariter ex æquo omnibus.
Negotiorum, de duobus quæ imminent,
Statim alteri animum adverte, ne procrastina.
Fundare si vis solia mansuræ domus,
Opes iniquas sperne. Nam quæ per nefas
Trans limen intrant, stare non possunt diu.
Fac aliquid habeas: inde nobilitas venit,
Et nuptiarum copia optimatium.
At pauper, adsit quamlibet sapientia,
Expers honoris nomen habet inglorium.
Tales amicos quære, qui verum loqui
Constanter ausint: obde ferratas fores
His, qui infideles gratiæ se mancipant.
Adsuesce senibus: utile 'est commercium.
Brevis voluptas sæpe tristitiam parit.
Ad dignitatis alta vectus culmina
Ne civium corporibus illudas cave:
In sese et enses acuit et laqueum vocat
Quicunque honesti pauperis spurcat domum.
Mandare noli non probis rempublicam:
Namque impiorum natio, gazam sibi
Vel imperî vim nacta, desultat ferox,
Crevisse cernens spem supra subito lares.
Et jam manum da, nate, tangendam patri,
Valeque. Nam te prohibet amplecti pudor:
Cor quippe non muliebre sapientem decet.

19. *Theognis.*

Illi lingua sapit, oculi quoque, nec minus aures,
Quæque sita in medio est pectore mens animi.

20. *Euripides Polyide.*

Quisquis suæ ipse fræna naturæ tenet,
Consulere recte commodis novit suis.

21. *Scriptor aurei Carminis.*

Plurimus humanas sermo defertur ad aures,
Inde bonus, malus inde: sed his tu parce moveri,
Nec cursu desiste: pati mendacia disce
Leniter. Hæc vero tibi sint ante omnia curæ:
Non dictis tibi, non factis persuadeat alter
Ut dicas, facias, quod rectius esset omitti.
Quæ nocitura cave: sint consilia ante labores.

22. *Euripides Peliasi.*

Stimulis potentum ne recalcitres cave.

23. *Menander.*

Si tibi quod nihilo plus est dederit quispiam,
Quantillum dederit sume: nam quamvis parum
Accipere, multo accipere plus est quam nihil.

25. *Incertus.*

Bonum undequaque maximum prudentia est.
Cujus notæ sit quisque, indicium oratio est.
Præclara res est, nosse præclara omnia.
Eris beatus, sapere si recte vales.
Præstare semper crede quod tutissimum est.
Est agere recte, sapere non recte tamen.
Perita cura vincit imperitiam.
Evasi doctus spectans aliena ad mala.
Amatur genitor cui pro ira prudentia est.
Fortuna si adsit, sapere res dulcissima est.
Odi professum sapere, qui sibi non sapit.
Bene judicare majus est silentio.
Valens sagaci mente, quod pravum est, fuge.
Odio est, quicunque præter ætatem sapit.
Quid cogites scit nemo: quid facias patet.

Non rebus apta est omnibus prudentia,
Sed sunt quæ casu eveniunt.
Nil agere temere semper est tutissimum.
Ratio inter homines obtinet fræni vicem.
Quam nihil est disciplina ni mens adsiet?

Theognis.

Qui sapit, huic durum est ad stultos multa profari:
Non tamen et semper posse silere datur.

Hesiodus Operibus.

[1] Ille quidem ante omnes, per se ipse quid utile, quid non
Qui videt, et longe fines prospectat agendi:
Qui bene consultis didicit parere, secundus:
At qui consiliis pollet nihil ipse, nec audit
Suadentes alios, nullos homo vivit ad usus.

Lucianus. [Anthol. Pal. X. 37.]

Consiliis satius tarde gradientibus uti:
Quæ cita sunt, post se pænituisse trahunt.

[Anthol. Pal. XI. 356.]

Cætera qui verax, in te mentitur Homerus,
Consiliis juvenum cum pondus abesse negavit.

Scriptor aurei Carminis.

Consilio factum prævortere, ne quid aberres.

Idem.

Ut nisi consulto quid agas, assuescere noli.

Phocylides.

Ne tibi cor inflent, sapientia, robur, opesve.
Unus enim Deus est sapiens, divesque, potensque.

26. *Idem.*

Telum homini ratio, ferro vel acutius ipso.
Nam Deus insevit cunctis animantibus arma:
Hinc avibus pennæ celeres, vis tanta leoni,
Spicula sunt apibus, sunt et sua cornua tauris,
Munimenta sui. Ast homini mens sola relicta est.

[1] Refer ad Tit. XXXV.

Illa autem princeps sapientia, quam Deus afflat.
Bellipotentibus antistant sapientipotentes.
Rura, rates, urbes sapientia sola gubernat.

Scriptor aurei Carminis.

Ne prius in dulcem declines lumina somnum,
Quam bene perpendas ter totius acta diei,
Quo prætergressus, quid gestum in tempore, quid non,
Lucis ab exortu supremam ad vesperis horam.
Tristitiam curvis impende et gaudia rectis.
[m] [Hæc in perpetuo cura, meditare, labora:
Hæc te in divinæ virtutis sede locabunt.]

Orpheus de gemmis, aut potius Onomacritus.

His ego, qui nostris cupient accedere dictis,
Munera polliceor fulvo meliora metallo.
Sed res ista virum quærit, cui nulla laborum
Tædia, qui nîl non vigil experiatur agatque,
Discat et ipse aliquid per se, cupiatque doceri.

Idem.

Me minus humanæ regina pecunia vitæ,
Quam juvat impleri doctis sermonibus aures.

Idem.

Audite o Superi, nam vos sapientia novit
Sancta duces.

Euripides Hecuba.

Sapere in miseriis magna vis sapientiæ est.

27. *Idem Antiopa.*

Cantare promtum, dicere est promtum mihi,
Quod juvet, et urbis neutiquam incendat mala.
Non vilis animi motus est, miserescere,
Sed mentis altum providæ. Noxa imminet,
Cum sapere sese qui putant, sapiunt nimis.

[m] Hos versus addidit Grotius in ms.

28. *Theognis.*

Tu quenquam laudare cave: nisi qualis ad iram
Noris, qui mores, ingeniique vigor.
Multis namque hominum sublesta et adultera furtim
Mens latet, inque dies est alia atque alia.
Sed ficti mores ipso se tempore produnt:
Nec me deceptum sæpius inficior.

Incertus.

Non proferenda, sed tegenda inscitia est.

Epicharmus.

Vigila: neu quid temere credas: nervi hi sunt prudentiæ.

Paulus Silentiarius. [Anthol. Pal. X. 76.]

Vivere non dulce est, animo sed pellere curas
Quæ pingunt celeri tempora canitie.
Divitias cupiam quantum satis: id quod abundat,
Est animum auratis sollicitudinibus.
Hinc et sæpe mori melius quam vivere, et audax
Paupertas magnas sæpe lacessit opes.
Hæc bene cum noris, maneat sapientia sola
Spes tibi, in hanc certum dirige mentis iter.

Incertus.

Pretiosa res est nulla præ sapientia.
Quæ nescias didicisse, pars sapientiæ est.
Sapiente ab homine nata primum oratio est.
Non cuncta prospectare sapienti datum.
Est sapere pretio quolibet pretiosius.
Est unde sapias discere a sapientibus.
Sui ipse dissimulator est sapiens mali.
Honesta cuncta nosse res pulcherrima est.

TITULUS IV.

DE IMPRUDENTIA.

Phocylides.

Judicis arbitrium ignaris permittere noli:
Doctrinam doctus regit, artem conscius artis.
Non capit indoctus sublimia doctrinarum.
Qui didicere boni nîl, mens obbrutuit illis.

Idem.

Nonne vides, ut sponte sua sibi quisque ruinam
Accersant: miser heu, bona qui vicina nec audit,
Nec videt. Effugium pauci novere malorum.

Orpheus de Gemmis.

Heu generi humano discendi nulla cupido est:
Nec satis hoc: vixdum visas contemnimus artes.

Idem.

Ah miseri, quibus ipsa etiam sapientia sordet.

Idem.

Ignari, excordes, divinæ sortis egeni,
More feræ vivunt: sed nec cælestia quærunt
Auxilia, ut possint vitiorum rumpere nexus,
Egregiumque nihil, nihil admirabile norunt:
Usque adeo circum sedet atra in pectore nubes,
Quæ proferre pedem virtutum in florida prata
Invidet, et pulchro vinciri tempora serto.

Scriptor aurei Carminis.

Turpia patratu patrare, nefanda profari
Ignari est: fac tu nequeant quæ facta dolere,
Et quod non calles nihil incipe: disce quod usus
Exigit: hæc vitam tibi sunt paritura beatam.

1. *Sophocles.*

Quos distinent adversa, surdescunt malis,
Et clara quæ sunt non vident, nec cum vident.

2. *Euripides.*

Nec nosse, nec videre quæ peccaveris,
Est incitamen grande confidentiæ.

3. *Hesiodus.*

Mente caret quisquis certare potentibus audet:
Spe sine vincendi probrum subit atque dolores.

4. *Menander.*

Malum est ab optione desipientia.

5. *Sophocles.*

Nihil scientum vulnus intractabile est.

6. *Menander.*

Tibi si noces, Fortuna cur audit male?

7. *Idem Militibus.*

[n] Latet omne crimen dum fit, sed quantum siet
Scelus, peracto scelere demum intelligas.

8. *Idem.*

[o] Miseranda res est usque eo delinquere
Ut nos vetet proferre commissum pudor.

9. *Euripides Ino.*

Multi feroces spiritu indomabili
Sua obtenebrant damna, vel clades tegunt.

10. *Idem Temenisi.*

Vecordiæ res plena dejectum metu,
Fortuna si quid afflet, animos tollere.

11. *Idem Æolo.*

Principia finem non bonum expectant mala.

12. *Sappho.*

Non Famæ memoris post obitum penna superstitem
Te sublime vehet, Pieriis cui caput est rosis
Intactum: sed iners in Stygio nunc quoque carcere
Umbra ignota lates, vilia nec deseris agmina.

13. *Menander.*

Res cæca mihi videtur imprudentia.

[n] Refer ad Tit. II. [o] Eodem.

14. *Chæremon.*

Qui nîl sciunt egregium, ne vivunt quidem.

15. *Idem.*

Despicere quam prospicere didicisti magis.
Ingenia concitata ne placeant sibi.

Idem.

Male consuluisse putatur, quisquis fallitur.

16. *Æschylus.*

Felix et excors impedimentum grave est.

17. *Sophocles.*

Insipientiæ
Jure optimo vocatur improbitas soror.

18. *Euripides.*

Excors homo bene dicta male dicta autumat.

19. *Idem.*

Vis illa subita et ingenî præceps vigor
Immensa sæpe damna dant mortalibus.

20. *Idem.*

Humana lustrat humor æquoreus mala.

21. *Hesiodus.*

Sæpe etiam stupidi non intempesta loquuntur.

22. *Idem Operibus.*

Ille quidem ante omnes, per se ipse quid utile, quid non,
Qui videt, et longe fines prospectat agendi:
Qui bene consultis didicit parere, secundus:
At qui consiliis pollet nihil ipse, nec audit
Suadentes alios, nullos homo vivit ad usus.

23. *Sophocles Ajace.*

Gens bruta mente, quod tenet manibus bonum,
Sero incipissit nosse, postquam effluxerit.

24. *Idem.*

Stulta par stultos loqui.

25. *Euripides Hercule Furente.*

Concedere hosti fas puto, non, si est malus,

Sed si quis animum moribus cultum gerit:
Nam facile tales mitigat supplex pudor.

26. *Idem.*

Hostilior res nulla consilio malo.

27. *Theognis.*

Qui nihil alterius putat esse in pectore mentis,
At sibi consiliûm millia suppetere,
Hic mihi commota furiatus mente videtur:
Nam scimus multi multa, nec hæc eadem:
Ast aliis rem non licitas augere per artes
Relligio est: alios frausque dolusque juvant.

28. *Menander.*

Inscitia est manifesta quod scito est opus
Id scire, non cavere quod cauto est opus.

29. *Idem.*

Pecunia qui floret et fautoribus,
Si majus aliud quærit, pol quærit malum.

30. *Euripides.*

Utcunque verba docta non docto ingeram,
Implere nunquam potero pectus perfluum.

31. *Idem.*

Hoc disce, si non ante didicisti tamen;
Pravum esse, magna portio imperitiæ est.

32. *Idem Alexandra.*

p Qua parte te, Rex, vincere ex usu fuit,
Non vincis, at ibi vincis ubi non est opus:
Servis nihil non cedis, ingenuis nihil.

33. *Eupolis.*

Quotquot hîc spectaturitis, aurem et animum advortite:
Namque se convertit ad vos nostra causæ dictio.
Vos peregrino poetæ grande clamatis sophos:
Civium sed siquis arti carminum se tradidit
Ingenî non sequioris, mente captum dicitis,

p Refer ad Tit. XLVIII.

Sic quasi tutela jamjam danda sit gentilibus.
Sed mihi quæso audientes ponite hanc sententiam:
Nec juventæ vestræ honores invidete musicos.

34. *Rhianus.*

Dedita gens vitiis homines sumus, ipsaque Divûm
Munera et alternas sortes corrumpimus, ante
Corruptis animis: hic quem gravis urget egestas
Innumera in Superos audet convitia, mœsto
Corde fremens: premit et vires animique vigorem
Degener: hunc aliquid facere aut memorare parantem
Impediunt segnisque pudor vultusque potentum:
Mœror edax, pavidæque habitant in pectore curæ.
Est alius, cui divitias, cui nobile regnum
Dat Deus; hic vix se terris incedere credit,
Vix se mortali meminit de sanguine natum,
Tantum corda tument: parvus licet, erigit altum
Supposita cervice caput: fulmenque Tonantis
Jam sibi, jam thalamos audet spondere Minervæ:
Aut fertur sublime, viamque affectat Olympo,
Dulcibus ut possit mensis accumbere Divûm,
Interea, sperata prius spectataque nulli,
Lentos certa gradus, sedet ipso in vertice Pœna,
Et vel anum simulans culpis juvenilibus instat,
Vel culpas sequitur veteres, mentita puellam,
Justitiæ magnique Jovis mandata capessens.

35. *Menander.*

Audacius me judice imperitiâ
Nihil invenire est.

36. *Hesiodus.*

Ah miser, ille quidem partam sibi crimine pœnam
Multa gemens sequitur: sed non revocabilis illa est.

37. *Sophocles.*

Hoc graviter errat ægra mens mortalium,
Quod mala mederi posse confidit malis.

38. *Idem.*

Res misera, cum sit recte agendi copia,
Tunc quem sibi ipsi sponte damnum accersere.

39. *Menander.*

Qui quæ sibi obtigere non bene fert bona,
Non est beatus ille, sed sensu caret.

40. *Idem Thessala.*

q Male agere qui vult facile prætextum invenit.

41. *Philemon.*

Quicunque mentis non satis compos suæ est,
Audit, nec audit ille, videt et non videt.

42. *Epicharmus.*

Cernit animus, animus audit: reliqua surda et cæca sunt.

43. *Cercides.*

Stans prope quî posset sapientia clara videri
His, quibus omne luto
Cor sordet, atque fæce non purgabili?

44. *Incertus.*

Tubam audiit sus, vel asinus testudinem.

45. *Theognis.*

Non paucos satias evertit mentis egenos:
Difficile est, adsunt cum bona, nosse modum.

TITULUS V.

DE TEMPERANTIA.

1. *Menander Gorgia.*

O Gorgia, ille vir virorum est optimus
Qui melius aliis callet ferre injurias.

2. *Euripides.*

Nil antiquius arbitror
Frænatrice modestia
Quæ semper comes est bonis.

q Refer ad Tit. II.

3. *Incertus.*

Semper modestis assidet divûm metus.

4. *Incertus.*

[r] Pecuniam ne fare: nîl miror Deam
Quæ pessimorum sæpe fit possessio.

5. *Incertus.*

[s] Rei indecoræ nec decora oratio est.

6. *Incertus.*

[t] Eheu malum illud evenit divinitus,
Cum quis videt meliora, nec sequitur tamen.

7. *Euripides.*

[u] Homini quid est necesse, præterquam duo,
Cereale germen atque limpharum latex,
Quæ sunt parata semper, et vitæ satis?
Sed non sat illud sat placet: quippe inciti
Luxu ciborum inventa sectamur nova.

8. *Incertus.*

[w] Male cogitatis adsidet merces mala:
Hoc talionis jure lex Fati jubet.

9. *Incertus.*

Virtutis omnis horreum modestia est.

10. *Incertus.*

Modestia est servanda cœnanti foris.

11. *Incertus.*

Res est homo peramœna cum vere est homo.

12. *Æschylus.*

[x] Virûm bonorum est, obsequi rectoribus.

13. *Sophocles Ajace.*

[y] Humana cuncta tollit et mergit dies:
At Dîs statutum est illud immutabile,
Amare puros sceleris, odisse improbos.

[r] Refer ad Tit. XCIII.
[s] Refer ad Tit. XXXI.
[t] Refer ad Tit. XVIII.
[u] Refer ad Tit. XCIII.
[w] Refer ad Tit. II.
[x] Refer ad Tit. XLVI.
[y] Refer ad Tit. I.

14. *Idem.*

Gaudere fœdas ob voluptates, nefas.

15. *Euripides Bacchis.*

Neque corda turpes Veneris in vetitæ faces
Fœminea coget Liber: ingenium bonum
Semper pudici regulam moris tenet.
Hoc cogitandum est: in sacris evantium,
Quæcunque vere est casta, non vitiabitur.

16. *Idem Hippolyto.*

Quos tu et quantos,
Hippolyte heros, nactus honores,
Casto vitæ tramite? namque hæc
Virtus homines prima coronat:
Cito vel sero sequitur semper
Pietatem debita merces.

17. *Idem.*

Suas nec exprobravit infelicibus
Clades, et ipse tale quid metuens pati.

18. *Incertus.*

Certantibus duobus, irato altero,
Certare qui desistit est sapientior.

19. *Euripides Medea.*

Me diligat modestia,
Quod munus est pulcherrimum.

20. *Idem Hippolyto.*

Proh quam modesta mens ubique hominem decet,
Et inclitam adfert gloriam mortalibus.

21. *Idem Theseo.*

Melior sed alius est amor mortalibus,
Mentis pudicæ, temperantis, et probæ.

22. *Linus.*

Certius ut veri possis insistere callem,
Imbue sollicitas nostris sermonibus aures,
Ut procul immanes furias de pectore pellas,

Quæ pœnis vincire solent genus omne profanum,
Indutæ varias mendaci corpore formas:
Has arcere vigil mentis custodia debet:
Hoc etenim te rite sacrum lustrale piabit,
Si potes ex animo pestes odisse nefandas,
Quarum prima malis et maxima causa, voluptas,
Quam laxis agitat frænis furiosa cupido.

Scriptor aurei Carminis.

Est modus, hunc serva, potus dapis atque laborum:
Quem si nosse cupis, modus est nocitura cavere.
Esto tibi non lauta nimis, non sordida mensa.

Idem.

Res has superare memento,
Ingluviem, somnumque, simulque libidinis arma,
Irarumque faces. Nihil adjutoribus aude
Turpe aliis, solusque nihil: te disce vereri.
Justitiam factisque simul verbisque celebra.
In re vel minima peccare assuescere noli.
Omnibus esse mori genitis fatale memento.
Res et opes quærique solent iterumque perire.

Phocylides.

Liminibus thalami natas arcete, parentes,
Nec decus innuptum sinite extra claustra vagari:
Nam tenerum pudor, et gravis est custodia formæ.

Idem.

Casta tibi placeant: factis te turpibus arce.

Idem.

Esse, loqui, potare, suo stent omnia fine:
Optima res modus est: hunc transiliisse nocebit.

Idem.

Pulcher amor recti; Veneris, sine crimine non est.

Idem.

Sume tibi affectus medios, nec grandia quære:
Nam quicquid nimium est in nullos serviet usus,
Immodicæque dapes vitiis alimenta ministrant.

Paulus Silentiarius. [Anthol. Pal. IX. 444.]

Virginitas pretiosus honos, sed vita periret,
  Si foret in cunctis virginitatis amor.
Legibus uxorem socia tibi: sic dabis orbi
  Pro te hominem, purus turpis adulterii.

Antipater Thessalonicensis. [Anthol. Pal. IX. 96.]

Antigenes anima jam jam fugiente Gelous
  Hæc dulci natæ verba suprema dedit:
Pulchra genas virgo, soboles mea, cara sequetur
  Te colus: hoc tenuis sat sibi vita putet.
Nubere si detur, probitatem ab Achaïde matre
  Exprime: dos erit hæc non peritura viro.

Incertus. [Anthol. Pal. IX. 132.]

Sunt adversa sibi pudor atque amor: et tamen ambo
  Exitium eventu sæpe tulere pari.
Hippolyto mortem mores tribuere severi:
  Hippolyti sed te, Phædra, peremit amor.

Palladas. [Anthol. Pal. IX. 170.]

Experior, ventrem reprimens sermone severo,
  Indomitam partem si ratione domem:
Et quid ni, cum ventre animus sublimior exstet,
  Vincere sit nobis inferiora datum?

Idem. [Anthol. Pal. X. 56.]

Credite, decepti toties in amore mariti,
  Credite: nulla nota est certa pudicitiæ.
Nec turpes facie semper sine crimine vivunt,
  Nec semper formæ gloria crimen habet.
Multas aspicere est, quæ pulchri corporis usum
  Tentatæ nullo munere prostituunt.
Sunt et deformes, quibus insatiata libido est,
  Quæque audent pretium ponere adulterio.
Non siqua aspectus simulat vitare viriles,
  Tetricaque attollit triste supercilium,
Certa pudicitiæ dat pignora. Sæpe severi
  Sub vultus specie maxima furta latent.

Rursum hilares aliæ, quæ comiter omnibus adsunt,
Sunt castæ, si qua est fœmina casta tamen.

TITULUS VI.

DE INTEMPERANTIA.

18. *Philemon.*

[z] Effare nobis libere, quem te putas?
Loquerisne hominibus ipse non homo, sed tenens
Orbem sub pedibus, an communi vesceris
Aura nobiscum, qui te tam magni facis?

19. *Cleanthes.*

[a] Patrare quisquis concupiscit turpia,
Patrabit idem, si data erit occasio.

20. *Idem.*

Adulterorum natio unde nascitur?
Ex luxuriante Venerea lubidine.

21. *Euphron.*

Nulla horribilior pestis est adultero,
Qui maximo lascivit alieno in malo.

22. *Euripides Antiopa.*

Hi qui saginæ manciparunt corpora,
Periculosum civitatibus genus
Pecunia fugiente: ventri obnoxios
Manere iisdem rebus optandum foret.

23. *Anaxandrides.*

Ne te voluptatis unquam servum feceris:
Neque enim viri hoc est, sed subantis fœminæ.

24. *Alexis.*

Noxam trahentes post se delicias fuge.

25. *Menander.*

Adulter est res, crede, pretiosissima:
Nam morte constat.

26. *Idem.*

Inhonesta vita, quamlibet dulcis, probrum est.

[z] Refer ad Tit. XXII. [a] Refer ad Tit. II.

27. *Aristophon Medico.*

Inter sacrata sunt domus meretricium:
Nam non solent patere nîl habentibus.

28. *Apollodorus Calumniatore.*

Forem vecte oppilamus: at nemo interim
Adeo obseratam januam fecit faber,
Quæ non feli pateret atque adultero.

29. *Batho.*

Cum vita in hominum vulgo occurrant plurima
Quibus excitatur libera indignatio,
Tum mihi bilem illi ante alios præcipue movent,
Flagrare amore morum qui se dictitant,
Et sic latêre sperant, dum quod sentiunt
Pingunt colore vano falsimoniæ.
Quod namque mores attinet, juvenis seni,
Vel lævis hirto, per Jovem, quid interest?

30. *Phœnicides.*

Non possum vitam ducere hanc meretriciam,
Ita me Venus amet, Pythias: nec dic mihi,
Disperii: nihil id ad me, cupio absistere.
Amator primus obtigit miles mihi:
Is mihi narrabat pugnas liberaliter,
Et vulnera ostentabat: sed dabat nihil.
Multas a Rege se retulisse gratias
Memorabat, repetens hoc identidem mihi,
Et propter illas quas narrabat gratias
Totum sibi annum me ductavit gratiis:
Quare hunc reliqui. Glorioso militi
Successit medicus, multos qui quottidie
Urebat et secabat, pauper carnifex,
Qui mihi multo illo visus est crudelior:
Narrabat ille quod hic faciebat sedulo.
Fortuna tertium mihi dedit philosophum,
Cui pallium erat et barba et sermonum satis:

Tum vero in manifestarium incidi malum:
Nam nihil erat quod daret, et si quid poscerem,
Pecunia non est bonum, ait: quod si dicerem,
Ergo malum illud projice, audibat nihil.

TITULUS VII.

DE FORTITUDINE.

1. *Euripides Bellerophonte.*

Adversa contra magna vis constantiæ est.

2. *Idem Ægeo.*

Est, ut morte aliquis sua
Virtutem doceat cadens.

3. *Sophocles Ajace.*

Optare vitæ spatia longævæ viro
Deforme, nullum cui levamentum est malis.
Nam quid diei rursus et rursus dies
Adjecta prodest, amplians semper mori?
Me judice ille nullius pretii est homo,
Cui spes inanis credulam mentem fovet.
Pulchram agere vitam nobilem, aut pulchre decet
Obire: habes quodcunque dicendum fuit.

4. *Menander.*

[b] Rectum piumque si quid occœptaveris,
Bene ominare, spemque firmam hanc concipe,
Adesse justa molientibus Deum.

5. *Euripides Archelao.*

Una res est quam monebo, servitutem ne tibi
Vivus accersas, perire dum licebit libero.

6. *Idem Danae.*

Ah quam bonorum sanguinem semper decent
Impressa celsi spiritus vestigia.

[b] Refer ad Tit. I.

7. *Sophocles Eriphyle.*

Nescit bonorum pectus elanguescere.

8. *Idem Creusa.*

Qui plenus animi fertur in periculum,
Huic lingua constat, mensque non percellitur.

9. *Euripides Hercule.*

Durum est necari et triste, sed fert gloriam:
At vita res est facilis et cum gaudio.

10. *Idem Œdipode.*

Uter vir utri præstat, an prudens simul
Timidusque, an audax et carens prudentia?
Hæc est ferina vita, sed vindex mali:
Placidior illa: neutra sed vitio caret.

11. *Æschylus Septem ad Thebas.*

Septem feroces copiarum principes
Nigrante scuti in orbe mactantes bovem,
Fusoque tauri sanguine imbuti manus,
Martemque Bellonamque et immitem Metum
Jurant, vel urbe diruta radicitus
Cadmea sese perdituros mœnia,
Sua vel ipsos cæde picturos humum.
Currumque Adrasti collocant propter sui
Parentibus monumenta, tingentes genas
Lachrymis, sed ore triste ut exiret nihil.
Nam ferreum cor, Marte ceu viso calens,
Spirabat implacabile, ut torvus leo.
Et jam minarum non abest longe fides.
Modo eos reliqui sortibus cum quærerent
Quam quisque portam peteret infesto agmine.

12. *Mimnermus.*

Vix ego, qui vidêre, meis genitoribus ausim
Credere, vi quanta roboris atque animi
Hastam concutiens per valles divitis Hermi
Lydorum densos egerit ille equites.

Non Dea culparit Tritonia pectus in illo,
Non vires, prima stans quoties acie,
Aut parte ex omni pellens hostilia tela
Sustinuit martem sanguineasque vices:
Nec fuit infesto conspectus in agmine quisquam
Intrepida potior vulnera ferre manu,
Dum rapido Solis lustratus lumine vixit.

13. *Erinna Lesbia.*

Martis o proles, mihi Fortitudo
Auream salve redimita vittam,
Sancta, quæ terram super alta cœli
Templa tueris.
Nam tibi Parcæ tribuere soli
Sceptra non unquam peritura regni.
Imperî te vis decet et potentis
Flexus habenæ.
Tum tua adductis juga pressa loris
Continent terræ sola, continentque
Spumeos fluctus: tibi tuta soli
Oppida parent:
Quæque res cunctas vaga fallit ætas,
Dum novis vitam variat figuris,
Semper ut regnes tibi perstat auras
Ferre secundas.
Tu paris bello sobolem et negatum
Prælio vinci juvenile robur,
Ut boni eventus segetem reportes
Fruge virorum.

15. *Homerus.*

Non tu me averso fugientem vulnere figes:
Si libet, oppositis invade hæc pectora telis.

62. *Panteleus.*

O vanus labor et tanti vis irrita belli!

Turba quid Eoo narrabimus obvia Regi?
Quid me immortales misisti, rector, in hostes?
Non telis gens ista cadit, non vulnera curat.
Unus homo totas acies fugat: inde cruentus
Constat adhuc campi medio, velut indomitus Mars,
Aut ut ferratis hæret radicibus arbos,
Et labi negat, et classi jam forte minatur.
Solve gubernator: quid enim pugnamus in umbras?

TITULUS VIII.

DE TIMIDITATE.

1. *Euripides Bellerophonte.*

Astus latentes atque fallaces doli
Solertioris sunt reperta ignaviæ.

2. *Sophocles Acrisio.*

Clamatur. Exauditis? an frustra obstrepo?
Facile anima metuens audit aut fingit sonos.

3. *Euripides Meleagro.*

Numerare timidos parce cum pugna imminet:
Sed hos ut adsint maxime absentes puta.

4. *Homerus Iliade.*

Quid sic sæva times dubii certamina Martis?
Nam quamvis, Danaûm dum classem invadimus, omnes
Nos raperent fera fata, caret tua vita periclo,
Ut cui non pugnax animus, non forte subest cor.

5. *Sophocles Phrygibus.*

Fervente bello non nisi fortes solet
Mars pignerare. Lingua cui ventosior,
Fuga periclum properat antevertere,
Marsque ipse timidos spernit a sese procul.

6. *Euripides Iphigenia in Tauris.*

Mihi non videtur sapere, qui, cum mors prope est,
Miserationem quærit adversus metum.

7. *Idem Phryxo.*

Vir vis vocari: sed virum minime decet
Trepidantis animi mollis ægrimonia.

8. *Menander Adelphis.*

Quid multa cauto, multa cum timeas, opus?

9. *Theognis.*

Multum, Cyrne, solent homines peccare loquendo
Cum perturbata est ignea vis animi.

10. *Philemon Enchiridio.*

Vultus minatur, pavida mens intus sedet.

11. *Sophocles.*

Fortuna adesse non solet pavitantibus.

12. *Euripides.*

Quoties periclum cernitur vitæ, timor
Causæ tuendæ ductus in certamina,
Os hominis ipsum cogit obstupescere,
Mentemque prohibet, quæ loqui cuperet, loqui,
Ut quæ periclum non subit par corpori.
Exhauriendus est mihi tamen hic labor,
Cui posita merces aut mea est mors, aut salus.

13. *Idem Archelao.*

At vita mollis et pavens ignavia
Non civitatem, non domum recte regunt.

TITULUS IX.

DE JUSTITIA.

1. *Incertus.*

Juri obsequentum fructus haud unquam perit.
Vis justus esse? Tramitem rectum tene.
Quæ justa vita est exitus pulchros habet.
Ut justa consequaris, quod justum est face.
Benignus esse quære, sed justus magis.
Sectanti justa fautor adsistet Deus.
Judex, quod est jus, non quod ex usu est, vide.

[c]Haud ego loquenti recta responsavero.
Possessio pretiosa morum integritas.

2. *Incertus.*

Justitiæ lumen quod fit ubique videt.

3. *Euripides.*

[d]Respectus æqui nullus est mortalibus.

4. *Sophocles Aleasi.*

Justis recalcitrare difficilis labor.

5. *Euripides Aloadis.*

Intacta labis posside quod possides.
Modicamque rem tuere justitiam sequens.

6. *Idem Hecuba.*

Servire juri mentis officium bonæ est,
Malisque semper reddere ex merito malum.

7. *Sophocles Ajace.*

Ne te animus isthuc adigat impotentiæ,
Cujusquam ut odio percitus jus exuas.

8. *Euripides Theseo.*

Præstantis auri copia præstantior
Ducenda consuetudo justorum virûm.

9. *Menander.*

Si justus es, pro lege tibi mores erunt.

Ib. *Incertus.*

[e]Nîl suspicandum de probis est sequius.

Ib. *Incertus.*

[f]Male facere nescit quisquis assuevit bono.

Orpheus hymno Justitiæ.

Sancta, salutarisque hominum justissima rectrix,
Observans æqui, gaudens mortalibus æquis,
Justitia excellens, felix, veneranda Dearum,
Arbitriis incorruptis quæ cuique suum das,
Ipsa illæsa animi, sed cunctis vulnera figens

[c] Refer ad Tit. XXXIII. [d] Refer ad Tit. X. [e] Refer ad Tit. I. [f] Eodem.

Qui tua detrectant, mater, juga, quos docet auri
Insatiata fames furtivis lancibus uti:
Blanda, favens, præses dapis, hostis seditionum,
Pacis frugiferæ et vitæ constantis amica:
Quod plus est fugis, et gaudes paritate benigna:
Virtutis per te assequitur sapientia culmen:
Audi, Diva, malos dignis cruciatibus auge,
Ut facilem ducant æquato pondere vitam
Gens hominum, terræ vescentes frugibus almæ,
Atque animantia cuncta sinu quæcunque foventur
Cærulei Consi, Tellurisque omniparentis.

Orpheus hymno Justitiæ vindicis.

Pœnæ respiciens canto venerabile lumen,
Cui jus est solium Jovis insedisse supremi,
Unde hominum vitam cælesti ex arce tuetur,
Suppliciis justis ulciscens impia facta,
Imparibus reddens paritatem, judice Vero.
Tu quæcunque homines juri contraria patrant,
Quod nimium est nimium prava dum mente cupiscunt,
Exsequeris, ne flagitio lætentur inulto:
Fautrix rectivolis, injusta audentibus hostis:
Æqua igitur facilisque adsis sectantibus æquum:
Felix vita sui decurrat tempora fati.

Orpheus hymno Nemeseos.

Te prece, te, vindex, voco, maxima Reginarum,
Omnitua, inspectans quid agant mortalia secla,
Sancta Dea, immortalis, aves quæ jure fruisci,
Dissertans varium sermonibus alternatis,
Quam metuunt homines cervici subjuge cuncti:
Nam tua perficitur semper sententia, nec te
Effugiunt animæ temeraria verba superbæ.
Cuncta vides, et cuncta audis, et cuncta repensas,
Arbitriumque hominum stat te penes, inclita Diva:
Adjutes mactesque tuos, o sancta clientes,

Dans recti consulta animi: ventosa, profana,
Conscelerata procul nostris a cordibus arcens.

Hesiodus Operibus.

Justitia est virgo, soboles Jovis altitonantis,
Quam Dî suspiciunt cælestia templa colentes.
Læserit hanc aliquis deflectens tramite recto,
Illa sedens solium juxta sublime parentis
Facta hominum narrat crudelia, nec tacet ante
Pendat quam populus Regum pro crimine pœnas,
Obliquis qui jura parant invertere dictis.

Idem Theogonia.

Altera fas magni conjux Jovis edidit olli
Justitiam, Legemque bonam, Pacemque virentem,
Observant hominum vigili quæ mente labores.

Incertus. [Anthol. Pal. IX. 378.]

[f] Dicitur in somnis vidisse homicida Serapim:
(Forte ruinoso pariete nixus erat:)
Et dixisse Deus: Surge hinc, dormitor, abique
Ocius, atque aliud quære cubile tibi.
Excitus inde loco migrat: simul ille peresus
Funditur, et late sternit humum paries.
Ille, Deo cordi cum crederet esse nocentes,
Prolixas grates et sacra mane parat.
Tunc ait in somno rursum Deus: Ergo putabas
Tutelæ sontes, heu miser, esse meæ?
Non est ista salus, facili quod morte negatum
Defungi: crux est pœna parata tibi.

Archias. [Anthol. Pal. IX. 339.]

[g] Dum niger in nitido corvus volat æthere, vidit
Forte nepam terræ surgere de gremio.
Rapturus properat: sed humum simul attigit ales,
Letifero caudæ verbere percutitur.

[f] Refer ad Tit. X. [g] Eodem.

Alterius sic ille neci dum fervidus instat,
  Fallitur, atque sibi repperit ipse necem.

10. *Menander.*

Decet istud omnes abstinere injuriis.

11. *Idem Superstitioso.*

[h] Habere famulos aspere numquam decet;
Minimeque si quid mente decepti bona
Hallucinantur: tunc enim turpis rigor.

12. *Idem.*

Debet quod jus est vincere omni tempore.

13. *Euripides.*

Vir justus unus millia immensa improbûm
Superat, favente fretus et jure et Deo.

14. *Philonides.*

Non ille est pavidus qui fas et leges timet:
Adversus hostes de virtute cernitur:
A jure vinci præcluis victoria est.

15. *Incertus.*

Jus prævalere semper immensum est bonum:
Injuria ut quis superet, immensum malum.
Quis cor protervum et pectus invidia æstuans
Optet, nisi corruptus inflata indole?

16. *Antiphanes.*

Qui nîl inique patrat huic lege haud est opus.

17. *Menander Pœnulo.*

Quodcunque rectum est, id plus lege ipsa valet.

18. *Idem Fidicinibus.*

Injuria si fugimus afflictos, pater,
Qui sunt quibus nos ferre suppetias jubes?

19. *Incertus.*

Injuria abstinere qui discit, Lache,
Rem discit elegantem et in vita utilem.

[h] Refer ad Tit. LXII.

20. *Incertus.*

Humanitatis limen injusti fuga.

21. *Philemon Palamede.*

Sola inter homines atque cælestes Deos
Justitia laudes semper æternas habet.

22. *Idem.*

Non justus omnis abstinens injuriæ est,
Sed qui nocere cum potest tunc abstinet:
Nec qui recusat parva, sed qui maximis
Tentatus animi robur invictum gerit:
Nec quisquis ista quolibet præstat modo:
Sed qui dolosi nescius fuci, integra
Probitate, justus esse, non credi studet.

23. *Æschylus.*

Bonos nec ipse Juppiter spernit dolos.

24. *Incertus.*

[i] Hipparchi monitum: pergite justa sequi.

25. *Solon.*

Mnemosynæ magnique Jovis sanctissima proles,
Exaudite preces quas fero, Pierides:
Ut florens homines inter rumore secundo
A Dîs concessa prosperitate fruar:
Quem metuant hostes, et quem vereantur amici,
His placidum, ast illis fortiter horribilem.
Divitias habuisse velim: sed non bene partas
Non cupiam: seris pœna venit pedibus.
Stant veluti solido fultis adamante columnis
Hæc, quas alma Deûm gratia mittit, opes.
Non intrat male parta domum fortuna benigno
Lumine, sed vetitis artibus implicita
Obluctans sequitur: mox sese in damna resolvit:
Et, velut ex parvo nascitur igne rogus,

[i] Refer ad Tit. III.

Principio tenui sic finit maxima clades:
   Nam male quæsitis non datur esse diu:
Prospicit in finem longe Deus: ac velut olim
   Vere novo nebulas discutiunt animæ,
Quæ postquam ex imo fluctus civere profundo,
   Telluris volitant per sola frugiferæ,
Vastantes sata læta: dein se in sidera tollunt:
   Tollunt, et subito blanda serena micant:
Ipse comas puro diffundit lumine Titan:
   Aspicere est toto nubila nulla polo:
Sic se habet ira Jovis. Non, qui mortalibus est mos,
   Mens illi quovis crimine læsa tumet:
Nec latet æternum sceleris sibi conscius auctor.
   Arcanum facinus scit reserare dies.
Serius aut citius pœnæ delicta sequuntur:
   Nec si quis visus fata Deûm effugere,
Nulla manet merces. Aliena piacula pendent,
   Aut nati aut natis prosata posteritas.
At nos tantumdem justosque malosque valere
   Credimus, atque intus sat sibi quisque placet,
Donec supplicio tactus dolet: ante petacem
   Spes animum vanis lactat imaginibus,
Nec sibi desistit placidam spondere salutem,
   Aspera quem vastat nec medicanda lues.
Sæpe etiam pavidus fortis sibi nomina ponit,
   Et turpis facie se putat esse bona.
Est qui pauperie pressus jacet, et tamen audet
   Ingentes animo fingere divitias.
Nil intentatum. Secat ille cupidine lucri
   Cærula monstriferos quos agit unda sinus:
Nec metuit nimbos iterumque iterumque furentes
   Expectare, animæ prodigus ipse suæ.
Alter humum curvo Cerealem versat aratro,
   Autumnumve satis provocat arboribus.

Pars manibus victum quærunt, artesque fatigant
  Palladis ingenio Mulciberique datas.
Ast aliis Musæ, dulces ante omnia Musæ,
  Doctrinæ multo nectare corda rigant.
Alter Apollineo donatus munere vates,
  Omne malum multo quam venit ante docet:
Verba Dei præstant. Fato quæcunque manet sors,
  Non hanc avertet victima, sed nec aves,
Nec qui Pæonias ægris mortalibus herbas
  Sæpe erraturam ferre laborat opem.
Sæpe dolor tenuis morbos produxit acerbos,
  Tollere quos nullis sit medicaminibus:
Sæpe diu sævo jactatum corporis æstu
  Contactu sanum reddidit una manus.
Sic fato sors læta venit, contraria fato:
  Nec vitare datur quæ placuere Deis.
Omnia confusis sunt plena tumultibus, et quo
  Exeat inceptum non videt auctor opus.
Hinc qui sollicite momenta expendit agendi,
  Imprudens magnis luctibus obruitur:
Et temere aggressis divino munere felix
  Exitus absolvit non bona consilia.
Divitiis nullus modus est, nec finis habendi:
  Nam quibus inprimis res nitet ampla domi,
Bis tantum cupiunt. Et quis satiaverit omnes?
  Humano generi commoda dant superi:
Commoda sed noxam pariunt: qua Juppiter usus
  Vindice, nunc illum, mox alium feriet.

[k]TITULUS X.

DE INJUSTITIA ET AVARITIA.

1. *Euripides Heraclidis.*

Sententia animo sedit hæc pridem meo.
Natum alteri esse quisquis est hominum probus:
At quisquis animum mancipavit quæstui,
Inutilem esse patriæ, commercio
Periculosum, sed sibi interea optimum.

2. *Serapio.*

[l]Non ista blanda verba tu fundis, meo
Animo obsecundans, sed tuo compendio.

3. *Menander.*

Summum est aviditas generis humani malum:
Aliena namque pro suis qui vindicant,
Persæpe non tantum improba spe decidunt
Victi, sed apponunt et alienis sua.

4. *Diphilus.*

Lucri cupido cæcum et imprudens malum est:
Quia mens laborans capere, nîl ultra videt.

5. *Idem.*

Ex rebus aufer capere, et abstuleris malos.

Ib. *Idem.*

Hoc est aviditas, cum quis nec jus nec bonum
Respiciens, totum quæstui se mancipat.

6. *Menander.*

Loqueris: sed ideo loqueris, ut lucrum feras.

7. *Euripides Ixione.*

Habere quisquis parte plus quærit sua,
Nîl ille justi cogitat, nîl expetit,
Urbi atque amicis pariter insociabilis.

[k] Dividendus fuerat hic Titulus, et pars posterior conjungenda cum Tit. XVI.

[l] Refer ad Tit. XIV.

8. *Theodectes Bellerophonte.*

O qui micantes explicas flammis comas
Sol alme, generi dulce mortali jubar,
Quenquamne tanto traditum discrimini
Litique iniquæ lumen aspexit tuum?
Me namque mulier judice accusat viro:
Quodque innocentem maxime causam gravat,
Dominos habere cogor adversarios.

9. *Aristophanes.*

[m] Vos qui publicitus accipitis salaria,
Animitus privum quisque respicitis lucrum:
Res summa interea vertitur tanquam Æsimus.

10. *Hesiodus Operibus.*

Quæ non rapta datur divinitus est melior res.

11. *Ibidem.*

Heu miseri, ignorant quanto præstantior asse
Sit semis: quantum lapathus juvet, herbaque malvæ.

12. *Ibidem.*

Ne male lucreris: mala lucra æqualia noxæ.

13. *Epicharmus.*

A manu manus fricatur: da quid, et quid accipe.

14. *Bacchylides Epinicio.*

Verum dicere si sinor,
Quamvis egregium trahunt
Mentem commoda.

15. *Pindarus.*

Vincîtur sapientia
Lucri compede.

16. *Hesiodus Operibus.*

Donare egregium, raptus malus et necis auctor.
Nam quicunque dedit quamvis ingentia dona,
Ipse sibi placet et subter præcordia gaudet:

[m] Refer ad Tit. XLVI.

At si quis rapuit, perrupta lege pudoris,
Vel minimum, luctu languescit tabifico cor.

17. *Euripides Bellerophonte.*

Innata quædam pravitas mortalibus:
At prava si quis emptus ingenti patrat
Mercede, frustra speret indulgentiam:
Pretium sed ingens sceleris ingentis ferens
Convitiantum verba non magni facit.

18. *Idem Danae.*

Pecuniam qui spernat haud quisquam est homo:
Aut si quis est, hunc qui sit ignoro tamen.

19. *Sophocles Œdipode.*

Hunc mihi subornas captiosum, maleficum,
Fallacem, ariolum, qui nisi lucrum nihil
Spectare novit; namque ad artem cæcus est.

20. *Menander Leucadia.*

Qui manum pecuniæ
Supponit, ut nîl dicat, nîl agitat boni.

21. *Idem Adulatione.*

Nemo et repente dives, et justus fuit.

Ib. *Incertus.*

Est cui vectigal magnum parsimonia est:
At alius cuncta insidians comparsa abripit.

22. *Antiphanes.*

Injusta lucra gaudium pariunt breve,
At longos contra luctus post tergum trahunt.

23. *Euripides Ino.*

Ite, improbi: tenete vi partum decus,
Et undecunque trahite congestas opes
Per fas nefas, profana miscentes sacris:
Manet metenda magna damnorum seges.

24. *Menander Adelphis.*

Vix cognatum pauperi
Reperire est: omnes a sese alienum putant

Hunc qui non facile se opibus sustentat suis,
Quia semper metuunt aliquid postularier.

25. *Sophocles Tereo.*

Pecuniæ avidum est omne barbaricum genus.

26. *Euripides Hypsipyle.*

Apud malos utilia plus justis valent.

Incertus. [Anthol. Pal. XI. 389.]

Tantas unus opes? sed possem ignoscere, corvi
Cornicisve dies si tibi fata darent.
At si hominum e numero es, quibus est festina senectus,
Distendi immensis parce cupidinibus,
Ne tua carnifices consumant corda dolores,
Deque tibi partis vivere des aliis.

Palladas. [Anthol. Pal. XI. 294.]

Divitiis locuples, animo sed paupere vivis,
Heredi dives, pauper at ipse tibi.

Idem. [Anthol. Pal. XI. 173.]

Cum tua fœnoribus dederis, des, sisve daturus
Omnia, non novit res tua te dominum.

Idem. [Anthol. Pal. XI. 289.]

Heu vita raptu quam repentino peris!
Fœcunda signans fœnerator tempora
Fraudatur alma luce momento brevi,
Dum circulante versat usuras manu.

Pelianus. [Anthol. Pal. XI. 167.]

Æs quod habes, nec habes, positis in fœnore nummis,
Quod facis alterius, quis putet esse tuum?

Incertus. [Anthol. Planud. I. 18.]

Vive, licet sumas æs fœnore: creditor annos
Et menses digitis computet, et doleat.

Antiphanes. [Anthol. Pal. XI. 168.]

Pergis adhuc numerare miser? non fœnora tantum
Longa dies novit ferre, sed et senium.
Non liquor unguenti, non circum tempora flores,

Non calices, non te carmina læta juvant.
Discedes tabulis locupletibus: et tibi sumes
Unum congestis ex obolis obolum.

Incertus. [Anthol. Pal. XI. 397.]

Artemidorus habet decies quod computet, et nîl
Erogat: haud aliter vivere mula solet,
Bajula quæ multo cum sudet pressa sub auro,
Tam pretiosa gerens pondera, gramen edit.

Incertus. [Anthol. Pal. XI. 166.]

Sis aliis dives: certe mihi pauper haberis:
Divitias usus monstrat, Apollophanes.
Uteris ipse bonis? Tua sunt. Heredibus autem
Quæ servas, jam nunc hæc aliena puto.

Lucilius. [Anthol. Pal. XI. 309.]

Tharsymache, hostili (doleo quoque) fraude petitus,
Qui fueras dives, factus es, ecce, nihil;
Dum parcis, numeras, in fœnore fœnora ponis,
Deducens ventri pabula, potor aquæ.
Sed si pocla, bibis quæ nunc, quæque ante bibisti,
Confers, invenies nîl periisse tibi.

Idem. [Anthol. Pal. XI. 391.]

Murem Asclepiades cum conspexisset avarus,
Quid facis ah nostræ, dixit, amice, domi?
Cui mus, Parce metu, respondit, dulce renidens;
Heic ego non victum quæro, sed hospitium.

Macedonius Consularis. [Anthol. Pal. XI. 366.]

Thesaurum reperit per somnia nuper avarus,
Concupiitque mori, dives imaginibus.
At postquam veterem, lucri fugientibus umbris,
Pauperiem agnovit, dormit ut ante solet.

Lucilius. [Anthol. Pal. XI. 264.]

In somnis aliquid sumtus quia fecerat Hermon,
Suspendit sese mœstus avaritia.

Nicarchus. [Anthol. Pal. XI. 169.]

Suspensurus heri sese parcissimus Almo,
Propter sex obolos noluit, Aule, mori.
Namque hoc restis erat pretium: deterruit ingens
Sumtus: et, Heus, tanti non moriemur, ait.
Summus avaritiæ modus hic, post tædia vitæ
Propter sex obolos non voluisse mori.

Incertus. [Anthol. Pal. IX. 45.]

Invento laqueum quidam projecerat auro:
Aurum cui periit se necuit laqueo.

Incertus. [Anthol. Pal. XI. 170.]

Non quia mors instat, sed quod sex assibus emit
Sandapilam, miserum plorat Otacilius.
At satis illa capax: solari quæritis umbram?
Unum ex natorum plebe superjacite.

Lucilius. [Anthol. Pal. XI. 171.]

Furius ægrotans signatis rite tabellis
Heredem sese scripserat ipse sibi.
Tum, si iterum valeat, quæ sint impendia morbi,
Quæ medici, trepidis computat articulis:
Solvendosque decem postquam sibi repperit asses,
Utilior nobis mors, ait, et moritur.
Uno nunc obolo dives jacet: omne quod ultra est
Heredes rapiunt, et satis esse negant.

Idem. [Anthol. Pal. XI. 165.]

Non sibi puleii, Veiento, sed æris odore
Languentis curat tædia ventriculi.

Idem. [Anthol. Pal. XI. 172.]

In mare projecit natam sibi Curio prolem,
Staturum quanti vivere dum numerat.

Ammianus. [Anthol. Pal. XI. 413.]

Convivas, hortum quasi sacrificasset, Apelles
Excipit. An solas forte vocavit oves?
Ponit enim mentam, lactucas, ocyma, bulbos,

Intubaque et raphanos, allia et asparagos.
Aufugi pastus male semimadente lupino,
Sollicitus fœnum ne daret esse mihi.

Automedon. [Anthol. Pal. XI. 325.]

Pes capri mihi cœna fuit, tum cannabis instar
Brassica, tum flavens unciola asparagi:
Convivatorem non indico: pronus ad iram est:
Atque ideo ne me sæpe vocet metuo.

Palladas. [Anthol. Pal. XI. 387.]

Mos semel est prandere, nisi nos Cinna vocarit:
Altera tunc facimus prandia namque domi.

Incertus. [Anthol. Pal. XI. 313.]

Orbibus argento factis cœnavimus: at nîl
Appositum. Torsit nos pretiosa fames.
Tam nitidum esuriens, tacitus suspiria misi,
Et dixi, Felix fictilium satias.
Quæsivi dubius, quæ nominis esset origo
Orbibus: hoc tandem me tua cœna docet.
Namque orbes nobis posuisti, sed dapis orbos,
Instrumenta famis, splendida, sed vacua.

TITULUS XI.

DE VERITATE.

1. *Theognis.*

Veri teneamur amore
Tuque et ego, quo nîl justius esse potest.

2. *Olympiades.*

Hospes Deorum veritas, civis poli.

3. *Pindarus.*

Diva, virtutum veneranda princeps,
Veritas, tu me rege, tu tuere
Ne fidem fallam, neque pacta mendax
Fœdera rumpam.

4. *Incertus.*

Verum profari liberalis ingenî est.

Ib. *Incertus.*

Profari vera lubricum linguæ solet.

5. *Phocylides.*

Fidem semper servare memento.

[n] Manet irrevocabile quicquid
Annuero, neque fine carens, et fallere nescit.

7. *Bacchylides.*

Aurum Lydius indicat
Signo non dubio lapis:
Humanam sapientiam,
Virtutemque notat simul
Victrix inclita veritas.

8. *Æschylus Armorum judicio*

Simplicia verba veritas simplex amat.

9. *Sophocles Electra.*

[o] Faciam. Negat justitia sermones duos
Inter natare: quicquid officii est, facit.

10. *Menander Plagipatida.*

Sæpe admodum
In lucem prodit nec quæsita veritas.

11. *Idem Supposititia.*

In re omni conducibile est quovis tempore
Verum proloquier; idque in vita spondeo
Securitatis esse partem maximam.

12. *Euripides Phœnissis.*

Simplex et infucata veri oratio est,
Nîl indiget res æqua sermonum ambitu,
Manifesta per se: causa sed juris sui
Vitio laborans quærit a verbis opem.

13. *Sophocles Œdipo.*

[p] Jus sequere. Vincit sæpe majorem minor.

[n] Refer ad Tit. LXXX. [o] Refer ad Tit. IX. [p] Refer ad Tit. IX.

TITULUS XII.

DE MENDACIO.

1. *Euripides.*

Miser ille, falsa ornare qui cum didicerit,
Non vera potius optat ornate eloqui.

2. *Sophocles.*

Mendacium recusat ætatem pati.

3. *Idem.*

Illiberalis ingenî est simulatio.

4. *Idem Creusa.*

Aliena vero proloqui nunquam decet:
At vera certam si cui pestem ferunt,
Huic danda venia est, si facit quod non decet.

5. *Menander.*

Vero nocente potius est mendacium.

6. *Pisander.*

Non est grande nefas animam præponere vero.

7. *Homerus.*

Immensum sapit ille, loqui nisi vera cavebit.

8. *Menander.*

Quod simile vero est sæpe pro vero valet,
Et vim suadendi ad populum majorem obtinet.

9. *Idem.*

Res difficilis est falsum loqui.

10. *Euripides Hippolyto.*

[q] Quoties periclum est, ex mea sententia
Necessitati debet et lex cedere.

11. *Diphilus.*

Lucrosa res mendacium est in tempore.

[q] Refer ad Tit. XLIV.

12. *Idem Thesauro.*

Quod pro salute dicitur mendacium,
Me judice habere nîl potest incommodi.

15. *Chæremon.*

Inter bonos mendacio uti non decet.

16. *Homerus Iliade.*

Ille mihi invisus pariter cum faucibus Orci,
Cujus mens aliud condit quam lingua profatur.

Phocylides.

Vera loqui semper, falsis absistere cura.

Idem.

Nec tibi mens aliud condat quam lingua profatur.

Cleobulus.

Mendacium odit quisquis animitus sapit.

Incertus.

Vir frugi et sapiens odio habet mendacia.
Vitam dissociat mentiens calumnia.
Semper latere quisquis mentitur nequit.

Phocylides.

Nectere parce dolos.

Idem.

Vera loqui, nunquam testari falsa memento.

17. *Theognis.*

Grata quidem primo mendacia: sed malus illis
Exitus. Ex æquo finis utrique nocet.
Nîl habet ille boni, cui mentis adultera vox est,
Falsiloquo cujus prodit ab ore dolus.

TITULUS XIII.

DE LIBERTATE IN LOQUENDO.

1. *Euripides.*

Rigidine veri, mollis an mendacii
Malis loquelas, ede: nam datur optio.

2. *Sophocles Œdipo.*

Œ. Jactans protervus verba tam temeraria
Effugere quanam posse te speras via?
T. Fugi. Stat à me veritas, res præpotens.

3. *Idem Ajace.*

M. Lingua hæc malis in rebus illaudabilis.
T. Quia dura, quamvis justa sint, mordent tamen.

4. *Ibidem.*

M. Feroce lingua spiritus magnos alis.
T. Nam jure fretos pectus animosum decet.

5. *Sophocles Tereo.*

Confide promens vera, non erraveris.

6. *Sophocles Aleadis.*

Nam justa lingua maximam vim possidet.

7. *Euripides.*

Detur mihi, sit ille mendicus licet,
Aut si quid infra est, qui mihi recte volens
Quod dictat animus promat amoto metu.

8. *Idem Temenisi.*

Egregia res est vera constanter loqui.

9. *Sophocles.*

Non est remedium rebus afflictis pudor.
Tacens videtur stare ab accusantibus.

10. *Euripides Telepho.*

Non, si minante jam securigera manu
Cervix sub ictu staret, Agamemnon, mea,
Munitus æquo liberam vocem premam.

11. *Philemon Epidicazomeno.*

[r] Promptum diserto lingua perfugium, pater.

12. *Euripides Hecuba.*

Proh pulchra facta cuipiam cum suppetunt,
Pulchre loquendi quam benigna occasio est.

[r] Refer ad Tit. XXXIV.

13. *Idem Dictye.*

Confide. Robur grande justitia obtinet.

14. *Moschio.*

Quod jus et æquum est supparo silentii
Velabo numquam: quippe civem Theseos,
Urbe educatam Palladis, jus pristinum
Retinere libertatis ingenuæ decet.

15. *Euripides.*

Quæ justa sunt reticere nequaquam decet.

TITULUS XIV.

DE ADULATIONE.

1. *Posidippus.*

Omnes locutos non mihi puto, sed togæ:
Usque adeo nemo est nunc salutantum super.

2. *Critias.*

Quicunque amicis gratiæ tantum studens
Consuescit, ille gaudium præsens gravi
Compensat odio post futuri temporis.

3. *Euripides Erechtheo.*

Tales amicos quære, qui verum loqui
Constanter ausint: obde ferratas fores
His, qui infideles gratiæ se mancipant.

4. *Zeno.*

Ne cuncta credas auribus, te examina,
Et jus loquendi detrahe assentantibus.

5. *Euripides Iphigenia.*

Laudata probitas, laus ubi excessit modum,
Succenset ipsis sæpe laudatoribus.

6. *Idem Oreste.*

Laus nimia perdifficile portatu est onus.

7. *Nicolaus.*

Professionis natio parasitica
Suæ habet auctorem Jove prognatum Tantalum.

Verum is cum male calleret artem exercitam,
Supplicium passus grande linguæ futilis,
In esurialem sedem detrusus miser
Felicitatem mensæ herilis perdidit:
Ita ictus ipsum ventris in meditullium,
Sursum ac deorsum credidit vorti omnia:
Ipsam etiam Sipylum versam non aliter puta.
Atque hæc merito evenere: quia Phryx barbarus
Non potuit Regis ferre contumelias.
Nunc ego mehercule hujus culpæ nomine,
Quæ nimium multos æmulatores habet,
Expostulare cupio, si permittitis,
Cum genere hoc hominum, qui expediti a symbola
Cœnare aliena cupiunt sine laboribus.
Dic quisquis ille es, qua ingenî fiducia
Vis parasitari: vel quid ad vitam utile
Nosti? operæ pretium namque id est resciscere.
Dic quem magistrum nuncupas? cui familiæ
Nomen dedisti? placita quæ te audaciæ,
Huc extulerunt? cum nos qui ævum trivimus
In istis disciplinis, ægre sic quoque
Nobis patentes indipiscamur fores,
Tot cœnipetarum propter impudentiam.
Non cuivis homini adire contingit dapes.
Sint firma oportet latera, mansurus color,
Frons nulla, malæ plagipatidæ, injuriis
Colaphorum nullis unquam delassabiles.
Elementa sunt hæc præcluis scientiæ.
Deinde opus, irrisus se quoque ipse irrideat:
Nam turpe est vinci sapientem a convitio.
Dissimulat annos aliquis, et fuco comam
Tingit, laborans non suæ ætatis malo.
Catamitus hic sit albo adscriptus cælitum.
Captanda altoris, in perniciem, gratia.

Bellum aliquis gerit in mensa et fartum ex hostibus
Facit. Hunc tu forti vindica silentio:
Collecta bilis in patinas desæviat.
His tantis, pueri, me parem negotiis
Natura genuit: nam mihi adsunt omnia,
Quæ adesse oportet de alieno viventibus,
Fames, pigritia, venter, impudentia:
Atque adeo nunc me rex Lydorum divitum
Amicum voluit esse, et convivam sibi.

TITULUS XV.

DE PRODIGALITATE.

1. *Menander.*

Quod patrimonî dèvoratores sui
Bene audiunt, id aliis expetit male.

2. *Euphro Geminis.*

Qui se nepotans rebus evolvit suis,
Aliena recte quomodo curet bona?

Lucianus. [Anthol. Pal. IX. 367.]

Luxuria marcens, insanæ more juventæ,
Jactasset patrias cum Proculeius opes,
Indoluit Volero, quondam genitoris amicus,
In misera juvenem vivere pauperie:
Quin dedit et lachrymas: atque in sua tecta recepto,
Noster eris, dixit, non sine dote gener.
Ille sed aspecto, quod non speraverat, auro
Ad veteres sumtus notaque damna redit.
Dilapidat census, concedens omnia ventri
Et quæ sub ventrem deteriora latent.
Sic infelicem Proculeium rursus egestas
Absorpsit reflui gurgitis illuvie:
Fletque iterum Volero, non hunc quem fleverat ante,
Sed dotem et natæ flebile conjugium:

Doctus ab exemplo quam, qui sua perdidit, illi
Non sit in alterius rebus habenda fides.

3. *Diphilus.*

Congerere acervum temporis longi est opus:
Quem congestum una facile disjiciat dies.

4. *Menander.*

Opipare vivunt multi, quæsitum quibus
Tueri difficilius est quam quærere.

5. *Idem.*

Si navigandum sit diebus quattuor,
Quantum sat est paramus in totidem dies.
Cur non item sollicita parsimonia est
Viaticum ne desit ætati malæ?

6. *Theognis.*

Medio, duce me, proficiscere calle,
Et ne, Cyrne, aliis des aliena cave.

7. *Scriptor aurei Carminis.*

Intempestivos sumtus fuge: nec tamen esto
Sordidus in cunctis rebus. Modus optima res est.

[s] TITULUS XVI.

DE PARCITATE.

1. *Philemon.*

Si quæ bonorum habemus his non utimur,
Quæ non habemus quærimus, semper bonis
Aut nostro vitio aut Fortunæ carebimus.

2. *Apollodorus.*

Odi fortunam habitantem in misero corpore.
Nam cum quis opulens inopem vitam victitat,
Quid aliud hunc quam crimen Fortunæ voces;
Quæ prave misero comitem se dat miseriæ.

[s] Adde quædam quæ supra Tit. X.

3. *Idem.*

At ego non, quantæ sint opes, respexerim,
Sed an sit illis superior qui illas habet.

4. *Euripides Antiopa.*

Quicunque largis opibus et gaza affluens
Monumenta sortis nulla molitur suæ,
Non hic beatus jure nuncupabitur,
Custos sed auri fortuito munere.

5. *Idem.*

Sicco miserias ore despicere est ferum:
Sed turpe et illud, opibus e magnis, mala
Tenacitate, demereri neminem.

6. *Idem Danae.*

Quicunque plenam lætus aspectat domum,
Et corpori ipse subtrahit succum suo,
Hic mihi videtur sacra rapturus Deûm,
Natusque amicos impio ut bello petat.

7. *Menander.*

Nunquam beatum credidi, qui, cum bona
Possideat multa, nescit possessis frui.

8. *Idem.*

Non omne lucrum placeat. Injustas opes
Sit pudor habere. Vivit æterno in metu
Tenacitate qui miser juxta suas
Divitias odii duplum tantum possidet.

9. *Theocritus.*

Pastor avare, precor, lentem coque: rectius illud
Quam manibus lædi resecas dum tenue cuminum.

10. *Menander Falso Hercule.*

Avara vita veris caret affectibus.

11. *Apollodorus Mortem sibi consciscente.*

Perversitatis nominasti ipsum caput:
Multis mala insunt multa, sed avaro omnia.

12. *Antiphanes.*

O miseri, quibus ad lucrum respicientibus
Honesta sordent, ante habentur turpia:
Capiendi aviditas vim sapiendi obnubilat.

13. *Menander Moroso.*

Divitias mihi commemoras, rem fluxa fide:
Quas si perennaturas es certus tibi,
Non intercedo quo minus custodias,
Nec quicquam partiaris. Sin tu nec tui
Es ipse dominus, quæque habes sibi vindicat
Fortuna, cur ista aliis invideas, pater?
Atque illa, ut levis est, jam tuis pecuniis
Indigniorem forte munerabitur.
Quare, me si audis, dum te pro domino geris,
Mi pater, utêris illis liberaliter,
Opem feres pauperibus, et quantos potes
Amicos opulentabis ex opibus tuis.
Laus hæc perpetua: et si quid eveniat secus,
Idem expectabis quod tute ante feceris.

Ib. *Incertus.*

In aperto amicus melior est possessio,
Quam fossa sub humum copia argenti latens.

[t] TITULUS XVII.

DE CONTINENTIA.

1. *Sophocles Electra.*

[u] Vita indecora nobiles minime decet.

2. *Idem Phædra.*

Generosa nullum corda debent gaudium
Probare, nisi quod de probis rebus venit.

3. *Chares.*

Frænis regendus venter adductis tibi est:

[t] Pleraque referri possunt ad Tit. V.

[u] Refer ad Tit. I.

Solus datorum gratias nullas agit,
Supraque fines indigentiæ indiget.
Ventrem domare qui suum non sufficit,
Malum necesse est semper accumulet malo.

Incertus.

Multum parumque venter ex æquo capit.

Palladas. [Anthol. Pal. X. 57.]

Oderit et ventrem Deus, et quæ pabula ventri:
Hæc propter solvi nam mediocre solet.

Agathias. [Anthol. Pal. X. 68.]

Mente quidem laus est in cælibe: si tamen ulla
Vis urget, ne te masculus urat amor.
Fœmellas adamare, malum leve: nam secus illud
Natura nobis conciliante placet.
Muta vide, si vis, animantia: nulla ferarum
Egreditur fœdus connubiale venus.
Fœmineum sociale mari genus. Heu miser ardor,
Qui docuit spreta nubere lege viros.

4. *Sophocles.*

[w] Quæ fœda factu fœda memoratu puta

5. *Incertus.*

Artis severæ quisquis effectus amat,
Ventris domare debet immodestiam.

6. *Incertus.*

Bonæ magistra mentis est frugalitas,
Consilia semper saniora suggerens.

7. *Euripides Erechtheo.*

Ad dignitatis alta vectus culmina
Ne civium corporibus illudas cave:
In sese et enses acuit et laqueum vocat,
Quicunque honesti pauperis spurcat domum.

[w] Refer ad Tit. XXXI.

[x] TITULUS XVIII.

DE INCONTINENTIA.

1. *Sophocles.*

Quid ista laudas? quisquis immergit mero
Sese, fit exsors mentis, atque ira minor:
Quantumque cepit gaudii dicens male,
Male audiendo jure tantumdem dolet.

2. *Sclerias.*

Non est ferendus, quisquis animi insania
Temulentiave motus, alieno malo
Desipere novit, innocens semper sibi.

3. *Eratosthenes.*

Tantumdem flammæ vinum valet: atque ita versat
Quem subiit, Libycum ceu mare fert Aquilo,
Aut Notus imbricitor. Mentis secreta recludit,
Ex imis animum sedibus excutiens.

4. *Menander.*

Inopiam mentis fert temeti copia.

5. *Idem.*

Si bene rem expendas, non tam potus copia
Desipere, quam potantis ingenium, facit.

6. *Philemon.*

[y] Quid vivere opus est nescienti vivere?

7. *Idem.*

At vinum in causa est. Nempe quot sunt ebrii,
Mancipia totidem vini potati aspicis.

Idem.

N. Quodcunque feci vinum me facere impulit.
A. Malum id necesse est vinum fuerit, Nicophon.
N. Quodcunque vinum nimium est, hoc ipso malum est.

[x] Pleraque referri possunt ad Tit. VI. [y] Refer ad Tit. III.

9. *Idem.*

Potaram. Nempe ad culpam id obtentus sat est.

10. *Theognis.*

Paucos rara fames; multos, haurire volentes
Plusquam quod satis est, perdidit ingluvies.

11. *Idem.*

Sobrius a potis, a siccis ebrius absit,
Ne prave socies insociabilia.

12. *Idem.*

Utilis est Bacchus, recteque utentibus insons:
Infamant illum qui sine lege bibunt.

13. *Æschylus.*

Æs præbet ori specula, sed menti merum.

14. *Theognis.*

Qui bibit, atque modum nescit servare bibendi,
Non linguæ, mentis non herus ille suæ:
Ore tremens balbo siccis ridenda profatur:
Migravit pulsa sobrietate pudor.
Qui sapiens fuerat tunc desipit. Hæc memor alta
Mente tene, vinum ne sine lege bibas.
Sobrius a mensa te surripe, ne tibi venter,
Vili ut mancipio, turpiter imperitet.

15. *Idem.*

Vini quod nimium est deducit pondera menti,
Exæquans stolidum cum sapiente viro.

16. *Idem.*

Flamma vel argentum solet explorare vel aurum
Sed vinum humani pectoris indicium est,
Quantumvis sapiat. Vitium nam detegit omne,
Ipsaque denudat callida consilia.

17. *Idem.*

Bacchi flore grave est caput o Onomacrite: vino
Auferor, et mentis non mihi promus ego:
Tota domus circum me vertitur: at mihi, credo,

Surgere erit satius, ni liquor ille pedes
Cum mente invasit. Metuo ne quid temulentus
Admittam, cujus sit meminisse pudor.

18. *Homerus.*

Vinum docuit cantare severos:
Vinum etiam docuit molles agitare choreas,
Et blandum ridere, et non dicenda profari.

19. *Menander.*

Res putida est, cum fingens se scire ebrius
Quæ nescit, loquitur de vino non de suo.

20. *Euripides Auge.*

Vino coactus nempe feci injuriam:
Fateor: sed illud crimen haud spontis meæ est.

21. *Philippides.*

Nec te istis crede dictis, *Potaram, pater,*
Erravi, fateor, compotem veniæ fore.
Infirmiori quando vis fit, Panphile,
Non error istud, sed mera insolentia est.

22. *Panyasis.*

Quin bibis, o hospes? non est hæc infima virtus,
Appositis dapibus calices educere multos
Artis ad ingenium, atque alios ad pocla vocare.
Et mensa pariter robur spectatur et armis:
Namque ut confertos ductor ruit acer in hostes,
Quamvis late alii trepident et bella pavescant;
Talis et ille mihi (levior nec gloria) lætus
Qui conviva sedens alios ad gaudia cogit.
Ille mihi vita penitus caruisse videtur,
Aut certe minime vitalem ducere vitam,
Qui vinum fugiens aliis se potibus implet.
Prima hominum generi data sunt bona, flamma merumque.
Pulsa mero longe cedunt mala: carmina vivunt.
Namque sui partem vino tribuere venustas,
Et jocus, et festivus amor, mollesque choreæ.

Mente igitur grata Bacchi complectere munus,
Et bibe, ne ventrem stipans dape, vulturis instar,
Assideas mensæ lætæ dulcedinis expers.

TITULUS XIX.

DE PATIENTIA.

1. *Euripides Andromacha.*

Certamen ingens semine exiguo solet
Proserere lingua. Quo magis sapiens cavet
Odiis amicos mutuis committere.

2. *Philemon Epidicazomeno.*

Nullus concentus est auditu suavior,
Quam cum dissimulat petitur qui convitiis:
Nam qui ridetur id si non ægre tulit,
Ridendo risor ipse ridiculus manet.

3. *Euripides Protesilao.*

Loquentibus duobus, irato altero,
Certare qui desistit est sapientior.

10. *Sophocles Ajace.*

Hostilitate plus mihi virtus valet.

11. *Theognis.*

Non præstare tibi quæ vis, anime, omnia possum:
Perfer: non soli nam tibi pulchra placent.

TITULUS XX.

DE IRA.

1. *Theognis.*

Ira, Cyrne, nihil crudelius. Illa sequentem
Lædit, et excruciat cor miserabiliter.

2. *Evenus.*

Ira et quæ penita cordis sub sede latebant,
Tormentum gravius quam furor, exterebrat.

3. *Menander.*

Errationes æstus iræ non videt,

Qui te nunc potitur. Ille si deferbeat,
Multo quod ex usu est videbis rectius.

4. *Philemon.*

Furiamur omnes, ira nos quoties rapit.
Retinere bilis impetum magnus labor.

5. *Incertus.*

Quæcunque facit iratus, ea si examines,
Secus ac oportet facta post intelliges.

6. *Incertus.*

P. Iram moderare. *F.* Cupio: quippe ita est, pater:
Ira indulgenti nullam referet gratiam.

7. *Euripides Æolo.*

Quicunque præceps fertur, ira qua rapit,
Malos habebit exitus. Fallax via est.

8. *Epicharmus.*

Ne velis in res minutas perdere iracundiam.

9. *Idem.*

Legis, haud iræ ferocis, munus est dominarier.

10. *Idem.*

Nemo sic ut oportet ira concitus deliberat.

11. *Incertus.*

Multorum opes evertit imperitia
Et ira, gemina pestis obsequentibus.

12. *Euripides Archelao.*

Flagitia secum multa fert ira impotens.

Ib. *Idem Hypsipyle.*

Plus quisque semper positus extra iram sapit.

Ib. *Incertus.*

Ira imperita mater est magnis malis.

13. *Æschylus.*

Inanis iræ causa sæpe oratio est.

14. *Sophocles.*

[z] Consilia læva debet animus contumax.

[z] Refer ad Tit. III.

15. *Chæremon.*

Ut omne malorum genus ex ira nascitur.

16. *Idem.*

In multa vecors ira nos cogit mala.

17. *Euripides Philoctete.*

Mortale quando corpus est homini datum,
Nec odia gerere debet immortalia
Quisquis magistra sapere natura volet.

18. *Sosiphanes.*

At nunc tibi ira purpuret vultum senex:
Quum jus et æquum poscit irasci decet.

19. *Menander.*

O quantus labor est iræ frænare impetum.

20. *Idem.*

Medicamen iræ nullum est efficacius,
Quam fidi amici sapiens allocutio.

21. *Idem.*

Quantumvis irritatus ac merito dolens,
Nil temere facito. Quippe brutos impetus
Iræ frænare inprimis sapientem decet.

22. *Idem.*

Amarus ille mos et irritabilis
Degeneris animi præbet indicium omnibus.

23. *Theocritus.*

De medio cantare die reverentia Fauni
Nos, pastor, prohibet. Namque illo tempore fessum
Venatu corpus somno levat. Est Deus acer,
Et circum nares illi sedet aspera bilis.

24. *Homerus.*

Acre dolens. Olli pectus circumstitit atrum
Ira minax: rutilant oculi ceu fulgidus ignis.

25. *Euripides.*

Violentiæ si juncta mollities feræ
Accedat, aufert id quod excedit modum

26. *Incertus.*

Sæpe ex miseriis ira concitur gravis,
Et pectus error nubilo circumsidet.

27. *Incertus.*

Stulte, in miseriis ira damnosum est malum.

28. *Archilochus.*

Anime noster, anime jam nunc æstuans cura gravi,
Fortis obdura, atque in hostes obvium pectus ferens
Imminentes inter hastas pone securum pedem.
Nec data nimium feroci, si datur, victoria:
Nec secus si quid ceciderit stratus in luctum jace.
Cum modo lætare felix, cum modo infelix dole,
Qui videns quantique casus res agant mortalium.

29. *Sophocles Tyro.*

[a] Sopitus animus in malis multum videt.

30. *Euripides Medea.*

Quid aget tandem
Male tractatum, vix sedari
Patiens se, magnanimum cor?

32. *Sophocles.*

Amens quidem satis ille: verum ipsæ magis,
Queis plus valentem libuit ulcisci virum.

33. *Incertus.*

[b] Adversitati quisquis iratus suæ
Medicamen aptat gravius ægritudine,
Non est peritus ille sanandi artifex.

34. *Neophron Medea.*

Quid adeo properas, anime? consulta antequam
Tam fœda peragis, capitaque hæc charissima
Tibi sumis hostes. Misera quo tendas vide.
Sævi furoris reprime conatum impium.
Sed heu, quid ista pectori mœsto queror,

[a] Refer ad Tit. XIX. [b] Refer ad Tit. XVIII.

Deserta et his contemta, præsidium mihi
Quos decuit esse? cordis ignavi est nimis
Flagitia tanta posse inultam perpeti.
Sed, anime, ne tu te quoque his prode in malis.
Proh constitutum est. Fugite conspectus meos,
Jam fugite, pueri. Pectus implevit mihi
Cruenta rabies. O manus, ambæ manus,
In quale facinus noster armatur furor?
Audacia o miseranda. Quam longos meos
Perdo labores ipsa momento brevi.

35. *Euripides Medea.*

Et nunc aperte tueor, et sæpe antehac,
Grave pondus iræ ferre quam sit arduum.

36. *Ibidem.*

Difficilis illa est ira et immedicabilis,
Quæ prius amicos lite committit fera.

37. *Idem Telepho.*

Consilia ut iræ præferas tempus jubet.

38. *Idem Medea.*

At mihi subegit ira vim prudentiæ,
Fons maximarum cladium mortalibus.

39. *Incertus.*

Periculorum messis iracundia est.

40. *Incertus.*

[c] Miserum alloquendo si suis exasperat
Cognata dictis turba, facit improvide.

41. *Homerus Iliade.*

Pelide, rege magnum animum, miserescere non te
Nescia corda decent. Superi flectuntur et ipsi.

42. *Ibidem.*

Sicne jubes salsi rector, Neptune, profundi,
Hæc me verba Jovi tam dura atque aspera ferre?
An potius flectêre? bonis mens ferrea non est.

[c] Refer ad Tit. CXXV.

TITULUS XXI.

DE COGNOSCENDO SEIPSUM.

1. *Philemon.*

Hominem esse temet noveris ac sis memor.

2. *Menander.*

Hoc illud vetus est, Nosce te ipsum, res tuas
Si bene spectaris, et quid ex usu siet.

3. *Diphilus.*

Si noveris quid sit homo, vives suavius.

4. *Antiphanes.*

Mortalis cum sis, intra mortalem sape.

5. *Menander Thrasyleonte.*

Multas ob causas non probo sententiam,
Te nosce: multo rectius dictum foret,
Nosce alios.

TITULUS XXII.

DE SUPERBIA.

1. *Euripides Glauco.*

Fastus mali hominis res male est tolerabilis.

2. *Euripides Ixione.*

Habere quisquis parte plus quærit suæ,
Nîl ille justi cogitat, nîl expetit,
Urbi atque amicis pariter insociabilis.

3. *Sosiphanes.*

[d] O pauca felix, multa miserandum genus,
Homines, quid illa imperia vos reddunt feros,
Quæ sæpe donat una, sæpe aufert dies?
Si faverit fortuna, cum sitis nihil,
Cælo levatis capita: nec de proximo
Respicitis Orcum, regna qui in reges habet.

[d] Refer ad Tit. CV.

4. *Idem.*

Vox, Nosce temet, Delphicis sacrariis
Inscripta, famam crede non frustra obtinet.

5. *Menander.*

Sublime si quem ferri conspicias malum,
Superbe qui divitiis utatur suis,
Superciliumque supra fortunam erigat,
Expecta quam mox illi pœna impendeat:
Namque altius levatur ut gravius ruat.

6. *Euripides.*

Hominumne sese quispiam magnum putet,
Occasio quem minima facile everterit?

7. *Idem.*

[e] Ubi, qui latebis? certa quæ nobis fides,
Quæramus. Homini sæpe credulitas nocet,
Falluntque conantem exitus contrarii.

8. *Idem.*

Salubre non est quicquid excessit modum,
Nec divûm honores capere mortales decet.

9. *Menander.*

O stultos homines, qui supercilio gravi
Subinde repetunt, Videro. Tun' videris,
Homo cum sis, de re, miser utcunque res cadet?
Atqui secundæ res sponte adveniunt sua
Vel dormienti, nec minus contrariæ.

10. *Chæremon.*

Vis major esse nos superbos non sinit.

11. *Menander Gubernatoribus.*

O miserrimos
Mortalium, qui spiritus tumidos gerunt,
Conditio humana quæ sit non intelligunt.

[e] Refer ad Tit. III.

12. *Idem.*

Nam quo quis sapit minus,
Hoc mage superbit pendens de plausu levi.

13. *Euripides Alcmæone.*

Spectate regem, qui senex, orbus, fugit.
Spirare nimium magna mortalem nefas.

14. *Idem Æolo.*

Tacere satius est vel in medium sua
Afferre placita. At ille nec amicus mihi,
Nec sit sodalis, qui satis per se sapit,
Ducens amicos Marte captorum loco.

15. *Idem Andromacha.*

Quicunque turgent spiritu, vix sustinent
Meliora verba audire ab inferioribus.

16. *Demonax.*

Supra Deos ne sapite mortales sati.

17. *Euripides Bacchis.*

Quisquis supra mortale sapit,
Nihil ille sapit. Brevis est ætas:
Cujus spatio quisquis properat
Majora sequi, nec præsenti
Se sorte tenet, lævi tractus
Vi consilii, furit ille, furit.

18. *Incertus.*

Quisquis superbit, vindicem expectet Jovem.

19. *Menander.*

Ut video, adolescens, credis tu pecuniæ
Pretio parari non modo hæc quorum indiget
Quotidie usus, panem, acetum, obsonia,
Oleum, sed istis majus aliquid omnibus.
At certe venum non datur immortalitas,
Nec si talenta Tantali possederis:
Sed occubandum est, illa linquenda alteri.
Hæc quorsum? nempe ne fortunæ prosperæ

Confidas nimium, neu nos contra pauperes
Despectui habeas, verum te aspectantibus
Felicitate præbeas dignum tua.

20. *Sophocles Ajace.*

Uly. Nam video nîl nos esse mortales, nisi
Imaginosa somnia aut umbram levem.
Min. His doctus ergo, ne quid effugiat tuo
Ex ore petulans in Deos dictum, vide,
Neve insolescas, si quid aut plus dextera
Polles potesque, aut divitis gazæ ubere.
Mortalium res turbine incerto dies
Evertit ac reponit. At cælestium
Amat modestos numen, et spernit malos.

21. *Ibidem.*

Immensa molis otiosæ corpora
Cælestis iræ facile prosterni ictibus
Vates canebat, si quis humano satu
Creatus animos homine majores gerat.

22. *Idem.*

Nil mortales spirare supra
Mortale decet, memores solo
Dispensari Jovis arbitrio
Homini quodcunque futurum est.

23. *Idem Colchidibus.*

Mortale supra sapere nîl hominem decet.

24. *Euripides Alcmæone.*

Demissa fari cladibus pressos decet,
Non pristinæ respicere fortunæ decus.

25. *Hippothoon.*

Homo natus, hominum vive fortunæ memor.

26. *Sotades.*

Si rex es, homo sed tamen es, quapropter audi.
Si grande screas, plenus es ergo pituitæ.
Si veste nites, at prius hanc oves tulere.

Si vincula fers aurea, sortis iste lusus.
Si divitiæ sunt tibi, temporis rapina est.
Si corde tumes, stultitiæ teneris æstu.
Sin sobria mens est tibi, munus est Deorum,
Te nempe tuo si pede tute metiaris.

27. *Isidorus.*

Homo moriturus, id quod est retro vide.

28. *Menander Sponsoribus.*

Ut ante multos, te quoque hæc perdet lues
Quantumvis blanda, quod tibi nimium places.

29. *Idem Incensa.*

[f] Modesti mores, si gravitas accesserit,
Pulchri apparebunt, bone vir: at si te ipse tu
Dejectum facias atque nullius pretî,
Domestico sperneris testimonio.

31. *Incertus.*

Superbiam utero nimia fert felicitas.

32. *Euripides.*

Necessitati cede, nec pugna Deis.
Jam respice ad me, deque magno spiritu
Aliquid remitte. Sæpe res magnas Deus
Minuit repente, celsaque in planum tulit.

TITULUS XXIII.

DE AMORE SUI.

1. *Critias.*

Res dura cum se sapere non sapiens putat.

2. *Sosicrates.*

Aliena vitia perspicaces cernere,
Prætervidemus nostra nos ipsi mala.

[f] Refer ad Tit. XXI.

3. *Menander.*

Quicunque fœdum admittit aliquid, Pamphile,
Non videt hoc ipse: at alius si faxit, videt.

4. *Idem Aspide.* Alii attribuunt Euripidi.

Quisquis quod optat, nîlque præterea, videt,
Nimis est ineptus veritatis arbiter.

5. *Euripides.*

Alios quidem culpare sapientes sumus:
At nostra nos delicta non agnoscimus.

TITULUS XXIV.

DE CONSCIENTIA.

1. *Diphilus.*

Qui non veretur ipse semet, conscius
Sibi mali facinoris quod commiserit,
Hic quomodo alios nescios reverebitur?

2. *Scriptor aurei Carminis.*

Ante alios te primum disce vereri.

3. *Menander.*

Mala mens, malus animus. Quamvis audacissimum
Sua semper pavidum reddit conscientia.

4. *Sophocles.*

Furti tenetur quisquis ipso in crimine,
Quamvis disertus debet obticescere.

5. *Euripides Oreste.*

M. Quis, miser Oreste, te malus morbus premit?
O. Mens perpetrati facinoris sibi conscia.

6. *Sophocles.*

Egregià res est testis innocentiæ
Suus sibi animus.

7. *Antiphanes.*

Nullius esse conscium sceleris sibi,
Vitam per omnem plena res est gaudii.

TITULUS XXVI.[g]

DE OBLIVIONE.

1. *Sophocles in Convivio Achivorum.*

Oblivisci
Res Pierio male grata choro.
Meminisse juvat,
Et sæcla beans hominum miseri
Confinia continet ævi.

2. *Euripides Oreste.*

Oblivio veneranda, quam sapiens Dea es,
Quam dulce miseris advenit numen tuum!

3. *Sophocles Satyrico Contumelia.*

Oblivionem rebus orbatam omnibus,
Surdam, tacentem.

4. *Idem Mysis.*

Quam dulce miseris, proh, vel ad tempus breve
Animo memoriam exuere fortunæ suæ.

TITULUS XXVII.

DE JUREJURANDO.

1. *Chœrilus Perseide.*

Injuste, justeve, nefas jurare putandum est.

2. *Æschylus.*

Vir sacramento fidem
Debet mereri, non sacramentum viro.

3. *Alexis.*

Nutus mei pro jurejurando valent.

4. *Amphis.*

Quicunque negat habere juranti fidem,
Detegitur ipse promptus in perjurium.

[g] Sequitur hic apud Stobæum Titulus Περὶ Μνήμης. Id est, De memoria, sed sine versibus.

5. *Antiphanes Θητεύουσι.*

Hera, quisquis aspernatur jurantem alterum
Quem non compertum noverit perjurii,
Deorum hic aspernari sanctitudinem,
Et ipse pejerasse suspectus mihi est.

6. *Sophocles Hippodamia.*

Mens excitari jurejurando solet
Ut bina diligenter evitet mala,
Culpari amicis, et Deos offendere.

7. *Apollodorus.*

Cum flagra sint, jurare tu servum jubes?

8. *Antiphanes.*

Furit, qui jusjurandum defert improbo.
Contra Dî faciunt, quam solent antiquitus:
Nam simulac pejeratum est, ictu fulminis
Percutitur is qui jusjurandum detulit,
Merito mehercule, quoniam temere credidit.

9. *Alexis Olynthiis.*

Qui sapiunt, hi non hominibus jurantibus,
Sed rebus ipsis semper adhibebunt fidem.

14. *Pythia apud Herodotum.*

Glauce Epicydide, lucrosa atque utilis est res
In præsens homines juratis fallere Divis.
Jura: nam sancte jurantes æqua manet mors.
At juramento quædam est sine nomine proles,
Trunca manus, et trunca pedes: tamen impete magno
Advenit, atque omnem vastat stirpemque domumque.
Felix progenies sancte jurantibus orta.

TITULUS XXVIII.

DE PERJURIO.

1. *Sophocles.*

Abjurat alios denuo partus pati
Semanima mulier: sed simul cessit dolor,

Quam facile eosdem rursus in casses cadit!
Delet peracti memoriam præsens amor.

2. *Incertus.*

Amantium impunita sunt perjuria.

3. *Callimachus.*

Juravit: sed vox verissima, quicquid amantes
Jurarunt, aures non penetrare Deûm.

4. *Diphilus.*

Plebicolæ et meretricis jusjurandum est idem:
Namque illum jurant ipsum, quicum garriunt.

5. *Sophocles.*

Nulla improbo conditio jurandi gravis.

6. *Euripides.*

Jurata lingua est, mente juravi nihil.

7. *Menander.*

Hæc ætas omnem jam conturbavit fidem.

8. *Hesiodus Theogonia.*

Juratumque deum: clades mortalibus unde
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.

10. *Euripides.*

Non caret sensu Deus,
Ut scire nequeat, quod sacramentum dolo
Struatur, aut quod exprimat necessitas.

11. *Euphron Deorum concione.*

Novos sed agedum, per Deos, reperi Deos,
Ne semper illos ante notos pejeres.

12. *Euripides.*

Speranda divûm facilis indulgentia,
Si quis periclum mortis, aut iram hostium,
Aut dura vincla jurejurando fugit.

TITULUS XXIX.

DE ASSIDUITATE ET DILIGENTIA.

1. *Sophocles Thyeste.*

Celeres eamus ergo properanti gradu:
Culpanda non est justa festinatio.

2. *Hesiodus Operibus.*

Nam piger alterius magnos si spectet acervos,
Qui serat arboribus terram, qui verset aratro,
Qui regat arte domum, flagrat sub corde cupido
Æmula: certamen pulchrum mortalibus hoc est.

3. *Ibidem.*

Divitias pariunt studia indefessa laborum.
Ipsi sudantem clementius aspiciunt Dî.
Non labor in probro, sed diffugisse laborem.
Impiger invidia pigrum stimulabis opima
Sorte nitens. Comitantur opes virtusque decusque.

4. *Ibidem.*

[h] Grande malum pudor est cui se conjunxit egestas.
Nam pudor humano generi prodestque, nocetque.
Sæpe pudor miseros facit et fiducia dites.

Ib. *Ibidem.*

Quæ non rapta datur divinitus, est melior res.

5. *Euripides Heraclidis.*

It per medios virtus nunquam
Fessa labores.

6. *Idem Iphigenia in Tauris.*

Non terret labor
Fortem. Laborem qui fugit nulli usui est.

7. *Idem Licymnio.*

Ut fama perhibet, gloriæ pater est labos.

[h] Refer ad Tit. XXXI.

8. *Epicharmus.*

Dî suas labore dotes esse venales volunt.

9. *Euripides Telepho.*

Opus est laboret, esse qui felix cupit.

10. *Critias.*

Naturâ plures dat labor esse bonos.

12. *Alexandrides.*

Ubique finem reperit assiduus labor.

13. *Incertus.*

Hoc es monendus, nate, fortunam labor
Venatur: hinc est quod coli patrem vides.

14. *Euripides Archelao.*

Nemo otiosam molliter vitam trahens
Famam paravit, quæ datur sudoribus.

15. *Incertus.*

Qui plus laborant, quique præstant cæteris,
Hos civitas veneratur, hos dicit viros.

16. *Menander.*

Post tot labores irritos fio piger.

17. *Idem.*

Genitis dum vivunt est laborandum omnibus,
Vitam per se inopem quia non alit ignavia.

18. *Hesiodus Operibus.*

Si quamvis modicum modico superaddere tentes,
Atque iterum atque iterum, tandem consurget acervus.

19. *Menander.*

Rerum omnium
Nihil est quod non conficiat assiduus labor.

20. *Euripides Andromeda.*

Non sine gravi labore peperi gloriam.

21. *Æschylus.*

Habet laborans collaborantem Deum.

22. *Euripides Erechtheo.*

Crescunt labore cuncta bona mortalium:

At vita mollis atque iners ignavia
Vitam nec hominum nec domos quicquam juvant.

23. *Idem Cressis.*

[i] Beatus esse non laborando nequis.
Negotiorum turpis est juveni fuga.

24. *Æschylus.*

Præclara discere et senem non dedecet.

25. *Sophocles Vatibus.*

Citra laborem magna non datur assequi.

26. *Incertus.*

Pretium est laboris quicquid est pulchrum uspiam.

27. *Incertus.*

Inveniet avidus cuncta quærentis labor.

28. *Philemon Calumniam passo.*

Nihil est quod homini non sit indagabile,
Si quæritandi non recusetur labos.

29. *Idem.*

Cupido labore quod cupis datur assequi.

30. *Idem.*

O quam miseriis pristinis dulce est frui!
Ni male fuisset ante, gauderem minus.

31. *Carcinus.*

[k] Clarum voluptas nemini peperit decus.

32. *Euripides Archelao.*

Nemo otiando gloriam peperit sibi:
Generosus ardor pascitur laboribus.

33. *Alexis Achaide.*

Quæsita tandem dabitur reperire omnia,
Si non laborem fugias, ac te deseras.
Nam si homines tantis intervallis dissiti
Reperire partem potuerunt cælestium,
Ortus, occasus siderum, pulsus duos,

[i] Refer ad Tit. LX. [k] Refer ad Tit. VI.

Deliquia Solis, quidni possint proxima,
Et sibi cognata quævis deprehendere?

34. *Idem Hippolyto.*

Et ipse fautor est laboranti Deus.

35. *Theodectes.*

Multo est opus
Labore, laudum illustre quærenti decus:
Ignavia autem gaudiis præsentibus
Emit dolores postfuturi temporis.

36. *Euripides Sthenobœa.*

Desertus a favente fortuna labor
Non defatigat, ut vetus fert dictio.

37. *Sophocles.*

Nihil molesti retinet exactus labor.

38. *Idem Laocoonte.*

Juvant labores transiit postquam labor.

39. *Agatho.*

Itinere trito non it anima industria.

40. *Philiscus.*

O stolide, non sic agitur, ut molli otio
Præmia laborum non laborantes ferant.

41. *Xenophanes.*

Non semel humano generi Dî cuncta dederunt:
Monstravit sed longa dies meliora repertis.

42. *Hipponax.*

Nullum otiosum patere tempus elabi.

43. *Apollodorus.*

Negotiis si tempus assumas tuis,
Serena mox videbis ac placida omnia.

44. *Euripides.*

Labores inter multa pulchra se exserunt.

45. *Menander Moroso.*

Quem laborum non piget,
Nihil arbitrari is debet insperabile.

46. *Incertus.*

Laboriosæ diligentiæ assequi
Nihil est negatum.

47. *Menander Eunucho.*

Quicquid quæritur
Cura indigere, sapientum sententia est.

48. *Sophocles Œdipo.*

Quicquid quæritur
Spes deprehendi est. Omne neglectum perit.

Orpheus de Gemmis.

Sed res ista virum quærit cui nulla laborum
Tædia, qui nîl non vigil experiatur agatque:
Discat et ipse aliquid per se cupiatque doceri.
Non dictis hominum, non cœptis absque labore
Omnipotens finem pater annuit: aspice et ipsos
Solis equos, currum qui per flammantia cæli
Septa trahunt, vesper donec dimittat anhelos.

Hesiodus Operibus.

Sudorem ante aditum virtutis Dî posuerunt:
Et longa huc et celsa simul via ducit euntem,
Ardua principio: sed ubi est ad culmina ventum,
Incipiet molli sese submittere clivo.

49. *Euripides Supplicibus.*

Tua nonne cernis, quod vocat temerarium
Procax malitia, Gorgonem ut patria audeat
Aspicere? quippe crescit in laboribus.
Aliæ sed urbes otio segni latent:
Visus quoque ipsos crassus obnubit pavor.

51. *Antiphanes.*

Labori assiduo nihil est quod non serviat.

52. *Bion.*

Gutta cadens stillis rorantibus, ut vetus est vox,
Paulatim durum lapidem cavat.

53. *Idem.*

Ne tibi sit fabrum quavis accedere causa,
Et si quo sit opus: compingere disce cicutas
Ipse tibi potius. Res est facilisque levisque.

54. *Epicharmus.*

Plus, amici, quam natura, dat usus atque industria.

55. *Euripides Telepho.*

[l] Solius haud Ulyssis eloquentia est:
Hebetes disertos efficit necessitas.

56. *Idem Andromeda.*

[m] Nil quod necesse est ferre, mortali probro est.
Dulcem relinquit memoriam exactus dolor.

TITULUS XXX.

DE OTIO.

1. *Euripides.*

Quicunque magna copia florens opum
Domus regendæ deserit custodiam,
Soloque cantu gaudet et fidium sono,
Non civitati, non domo prodest suæ,
Non ille amicis. Ipsa natura excidit
Ubi quis subactus dat voluptati manus.

2. *Idem Hippolyto coronato.*

[n] Honesta novit quisque pro sese et videt:
Sed non laborant, victa pars molli otio,
Pars quoniam honestum post voluptates habent.
Quippe illecebræ plurimæ vitam obsident,
Colloquia longa, et dulce pigrities malum.

3. *Idem Hecuba.*

Quisquis labores ferre non assueverit,
Fert, sed dolente jactet ut collo jugum.

[l] Refer ad Tit. XXXIV. [m] Refer ad Tit. CVIII. [n] Refer ad Tit. XVIII.

Felix profecto si mori contingeret:
Vitam in miseriis trahere difficilis labor.

4. *Philemon.*

O Cleon, desine nugarum: nisi quid addiscas boni,
Non vides, ut omni auxilio vitam destituas tuam?
Namque ut naufragus natator terram nisi prehenderit
Non quit adipisci salutem: sic qui pauper factus est,
Artem nisi didicerit, vitam nequit in tuto ponere.
Sunt pecuniæ mihi, inquis; nempe quæ pereunt cito.
At domus sunt, sunt et agri: nescis fortunæ vices,
Quæ perfacile divitem hodie cras mendicum fecerit?
Nostrum quisquam, si fortunæ portum appulerit, anchoram
Dejicit, et sic extra pelagi se locat violentiam.
Hoc si eveniat imperito, raptus qua venti ferunt,
Nullum reperit quod senecta pauper præsidium occupet.
Sed tribules et sodales et cognati conferent.
Imo opta illorum periclum ne sit faciendum tibi:
Sin eo venies, comperies umbras esse, aliud nihil.

5. *Hesiodus Operibus.*

Ille iram superûm atque odium mortale meretur,
Qui sic vivit iners tanquam sine acumine fucus
Depascens ignavus apum congesta labore.

6. *Sophocles Iphigenia.*

Nullus supinæ fructus est ignaviæ,
Nec feriantes adjuvat fautor Deus.

7. *Menander Tutoribus.*

Cum valet ignavus quam cum febrit pejor est:
Quia sanus duplum tantum inutiliter comest.

8. *Alexis.*

Quem saginari juvat
Quotidie et nîl agere condignum cibo,
Sed otiosis circumferri passibus,
Ille edepol vitæ pestis infestissima est.

9. *Euripides Antiopa.*

[o] Commune multis hoc malum mortalibus,
Ut mente sapiant, obsequantur nec tamen
Animo, cupitis gaudiis obnoxio.

10. *Hesiodus Operibus.*

Pauper et ignavus, sed spe lactatus inani,
Perpetuo mala multa suo sub corde volutat.
Ah nimium spes illa nocens quæ sola sedentem
In triviis hominem victus solatur egenum.

11. *Euripides Melanippa.*

Vir otiosus civis est idem malus.
Nam nemo, ut omnes voce compellet Deos,
Vitam parare non laborando potest.

TITULUS XXXI.

DE PUDORE.

1. *Euripides Temenisi.*

Plus semper ira mos verecundus juvat.

2. *Idem Iphigenia in Aulide.*

Jure te et paucis reprendam, non supercilium vibrans
Insolenter arcuatum, sed modeste ac sobrie,
Ut decet fratrem. Vereri nescit ingenium improbum.

3. *Idem Hippolyto.*

Utinam teneres, sancte tu, mentes, Pudor,
Ut impudicum quicquid est evelleres.

4. *Hesiodus Operibus.*

Nam pudor humano generi prodestque nocetque.

5. *Menander Consanguineis.*

Me judice, qui erubescit ingenio est probo.

12. *Stasinus Cypriacis.*

Ipsum autem qui cuncta facit servatque tonantem
Dicere non audes: reverentia juncta timori.

[o] Refer ad Tit. XVIII.

13. *Homerus.*

Care socer, stat corde tui reverentia nostro.

14. *Idem.*

Sed vereor, metuoque simul.

15. *Euripides Cresphonte.*

O nate, in oculis nascitur castus pudor.

16. *Theognis.*

Nulla potest animo res tam pretiosa recondi
Quam pudor: hæc dos est propria, Cyrne, probis.

17. *Agatho.*

Vultus amicos revereor male conscius.

TITULUS XXXII.

DE IMPUDENTIA.

1. *Menander.*

Rubor jam periit: omnes frontem perfricant.

2. *Diphilus.*

Qui nec timere scit nec erubescere,
Hic impudentiæ attigit fastigium.

3. *Idem.*

Nullum impudente est animal confidentius.

Ib. *Incertus.*

Damnosus pudor est in regno impudentiæ.

4. *Theognis.*

Frons procul humanis abiit de sedibus exsul:
Nec pudor in terris quit reperire locum.

5. *Euripides Medea.*

Non robur animi, crede, nec fiducia est,
Contra tueri quos amicos læseris:
Sed summus homini morbus impudentia.
Verum quod ad nos advenis, recte facis.

6. *Theodectes.*

Humana cuncta nata sunt senescere,

Ipsoque cursu temporis finem assequi,
Unam, ut videtur, præter impudentiam :
Mortale quippe quo magis crescit genus,
Hoc illa se fit in dies adultior.

7. *Menander Carina.*

O Deorum maxima
Nunc Impudentia, si te fas dici Deam:
At fas. Nam nunc quod regnat, mos numen vocat:
Quo processisti, quoque procedes adhuc?

TITULUS XXXIII.

DE SILENTIO.

1. *Carcinus.*

Multis malorum remedium est silentium,
Egregia præbens signa moratæ indolis.

2. *Menander.*

In ætate utibilius nîl silentio est.

3. *Sophocles Aleasi.*

Tace puer: bona magna sunt silentii.

4. *Chares.*

Linguæ modum tenere præcipuum puta.
Juveni senique gloriam semper parit
Edocta lingua conticere in tempore.

5. *Athenodorus.*

Tutum fideli præmium silentio est.

6. *Amphis.*

Taciturnitate nulla laus præstantior.

7. *Philonides.*

Silentium anteferendum est vaniloquentiæ.

17. *Homerus Iliade.*

[p] Judicio Thersita carens ac prodige vocum
Desine, nec regi persta contendere solus.

[p] Refer ad Tit. XXXVI.

Ib. *Homerus Odyssea.*

Intus an est aliquis sanctorum cælicolarum?

Ib. *Ibidem.*

Comprime corde tenens tacito quodcunque volutas:
Quære nihil: nam mos Divis cælestibus ille est.

TITULUS XXXIV.

DE TEMPESTIVA ORATIONE.

1. *Incertus.*

Silentio ni melius quid portas, tace.

2. *Euripides Archelao.*

Breviter moneri vis? tace. Grande est malum,
Sua nocere sibimet eloquentia.

3. *Idem Ægeo.*

Linguam nisi tenebis, impendent mala.

4. *Antiphanes.*

Dici nequit prolixa, quæ recte suis
Accommodata rebus est oratio.

5. *Æschylus.*

Os morsicandum potius, hæc quam proferat.

TITULUS XXXV.

DE BREVITATE IN DICENDO.

1. *Hesiodus Operibus.*

Humanas res inter opes carissima, lingua est
Parca sui. Magnus favor est moderata loquentis.

2. *Eupolis Tribubus.*

Orationis abstinebo ambagibus,
Et rem profabor limites intra suos.

3. *Euripides Æolo.*

Illud viri sapientis, o pueri, est opus,
Multa efficace proloqui compendio.

4. *Sophocles Alete.*

Contracta multum verba habent sapientiæ.

5. *Menander Sponsore.*

Unum est quo valere possit impudens oratio,
Si brevis sit, atque articulum recte captet temporis.

6. *Philonides.*

[q] Cum de omnibus disceptes, nihil intelligis.

7. *Incertus.*

[r] Discendæ literæ, et sapiendum ubi didiceris.

8. *Incertus.*

Non si quis multa, recte hunc admirabimur,
Sed si quis pauca dicat quæ sint usui.

TITULUS XXXVI.

DE GARRULITATE.

1. *Theognis.*

Linguæ hominum multis nullo satis objice clausa est
Janua, consuetis multa tacenda loqui:
Per quæ sæpe malum latitans erumpit in auras:
Debuerant rebus claustra patere bonis.

2. *Euripides Hippolyto coronato.*

Nam nullam haberi convenit linguæ fidem,
Consilia cordi quæ scit alieno dare,
Suis laboret ipsa cum semper malis.

3. *Idem Medea.*

Et nunc et antehac sæpe, confiteor, Creon,
Mihi lingua magnis præbuit causam malis.

4. *Astydamas.*

Garrulitas linguæ quasi deambulatio est.

5. *Incertus.*

Nugaris agens intempestive philosophum.

[q] Refer ad Tit. XXXVI. [r] Refer ad Tit. III.

6. *Homerus.*

Vox elapsa fugit, melius quæ indicta fuisset.

7. *Idem.*

Semper verba libet tibi fundere: crede, disertum
Non decet esse nimis.

8. *Nicostratus.*

Si multa indesinenter et propere eloqui
Sapientiæ esset signum, certe hirundines
Sapientiores hominibus multo forent.

9. *Euripides Bacchis.*

Sapientis umbram dat tibi versatilis
Tua lingua: dictis sed tuis mens non adest.

10. *Idem Antiopa.*

Silentium corona cordati viri est:
Caret cupito gaudio loquacitas,
Suspecta amicis, civitatibus gravis.

11. *Sophocles Aleadis.*

Quid verba fundis impetu tam prodigo?
Semper molestus est supervacuus labor.

12. *Menander.*

Turpe est profecto, quoties, qui lingua valet,
Lingua sermones ejaculatur futiles.

13. *Euripides Bacchis.*

Spretrix legis iniquitas
Effrænisque loquacitas
In fines miseros ruunt.

14. *Menander.*

Nec saxum facile valida projectum manu
Reprehendas, nec sermonem qui lingua fugit.

15. *Euripides Dictye.*

Semper loqui discupere, nimis est regium.

16. *Sophocles Alete.*

Quicunque sese semper audiri cupit,
Aliis molestus quam sit haut intelligit.

17. *Æschylus.*

Afferre damna lubricum linguæ solet.

18. *Philemon.*

Quicunque dicit ad rem quæ non pertinent,
Duas locutus syllabas, prolixus est.
At bene dicentem ne prolixum dixeris,
Quantumvis dicat multa et multo tempore.
Ab Homero sume testimonium tibi:
Is cum exararit versuum tot millia,
Nemo est Homerum qui prolixum judicet.

[s] TITULUS XXXVII.

DE BONITATE.

1. *Menander.*

Nemo qui bonus est facinus committit malum.

2. *Idem.*

Quam pulchra res est bonitas cum prudentia.

3. *Theognis.*

[t] Vir bonus immoto constat sibi pondere mentis,
Fortunaque animum gestat utraque parem.
Divitias sin, Cyrne, malo bona numina donent,
Desipit, acceptum nec retinere potest.

4. *Sophocles Electra.*

Vult bonus nemo, male
Vivendo delibare famæ gloriam.

5. *Menander.*

Monuisti cuncta, quæ tui officii fuit:
Veruntamen mihi crede, ut faciam quod decet,
Plus meus est auctor mihi mos, quam ista oratio.

6. *Idem.*

Vir bonus in multis rebus est salutifer.

[s] Multa referri possunt ad Tit. I.

[t] Refer ad Tit. XCVI.

7. *Idem.*

Bene agere officium est liberalis ingenî.

8. *Idem.*

Bonitas ingenio prædita insigne est bonum.

9. *Diphilus.*

Beatum efficiunt probitas et prudentia.

10. *Menander Consanguineis.*

Bono paratum nomini viaticum est,
Quicquid paret Fortuna quovis tempore.

11. *Idem Pellice.*

Quotquot sunt boni,
Hos ipse revocat ad suam curam Deus.

12. *Idem.*

Etiam in perplexis rebus vir bonus usui est.

13. *Antiphanes.*

Honesti mores optimum peculium.

14. *Posidippus.*

Ars familiares peperit haud paucos mihi:
Plures amicos comparavi moribus.

15. *Pirithous.*

[u] Securiores lege sunt mores boni:
His namque fraudem nullus orator facit,
Illam repertis sæpe qui coloribus
Sursum deorsum vertit atque adulterat.

16. *Epicharmus.*

Sunt sui mores cuique vel Deus vel Vedeus.

17. *Theognis.*

[w] Semper quippe bonis prudentia juncta pudorque:
Sed quorum nostro tempore rara seges.

18. *Menander.*

Res hercle ad omnes probitas eximium bonum est,
Viaticum vitæ hujus admirabile.

[u] Refer ad Tit. XLIV. [w] Refer ad Tit. XXXI.

Namque isthuic homini parte non magna dic
Locutus, bene jam cupio. Sapiens dixerit
Hîc forsit aliquis: illex est oratio.
Quid? an non alios eloquentes exsecror?
Suada est loquentis vita, non oratio.

20. *Euripides Auge.*

[x] Lenit miserias æquitas mentis probæ.

TITULUS XXXVIII.

DE INVIDIA.

1. *Philemon.*

Habet malignus livor hoc in se boni,
Quod eligentes insequi sectam suam
Comes fidelis mille discruciat modis.

2. *Dionysius.*

Nec illud igitur cogitas certissimum,
His qui nihil sunt invidere neminem?
Invidia rebus semper egregiis comes.

Ib. *Incertus.*

Res invidenda est eminens sapientia.

3. *Chares.*

Invide nunquam beatis: ne malignum te probes.

4. *Incertus.*

Invidia res est omnium injustissima.

5. *Incertus.*

Beatus esse tam diu videor mihi
Ipsi, morderi quamdiu me sentio.

6. *Dionysius.*

Ne ditiori pauper invideas cave.

Ib. *Incertus.*

Jam prodeunt quos pascit invidentia.

[x] Refer ad Tit. CVIII.

7. *Agatho.*

Bona possidenti qui invidet, pereat male.

8. *Euripides Ino.*

Quæ mater, aut quis genitor infelix malum
Inauspicatam sevit invidentiam?
Ubi, quas adepta corporis partes sedet?
Tenetne media viscera, an geminas manus,
An luminum orbes? quanta laus medicis foret
Ferro vel herba vel salubri poculo
Auferre generi pessimam humano luem!

9. *Idem Œdipo.*

Pestifera multis mentibus mortalium
Invidia, pariter meque et illam perdidit.

10. *Nicomachus Naumachia.*

Vitam hanc agenti difficillimum foret
Vigiles tot oculos invidentum evadere.

11. *Menander.*

Homo invidus perpetuus est hostis sibi,
Dolore nempe sponte quæsito miser.

12. *Agatho.*

Immunis hominum vita ab invidia foret,
Si nascerentur sorte mortales pari.

13. *Euripides Bellerophonte.*

Quod se minores judicant ideo invident:
Illustriora livor infestus petit.

14. *Idem Phœnice.*

Invidiam haud probo:
Sed invideri res bonas propter velim.

15. *Hippothoon.*

Invidia Divûm pessima ac gravissima est:
Gaudet dolendis, atque gaudendis dolet.

16. *Incertus.*

Nemo male illi dixerit, ne si quidem
Malignitate vincat invidentiam.

17. *Incertus.*

Utilia quisque promat, aut promentibus,
Superatus a livore, ne succenseat.

18. *Carcinus.*

Cum te invidentem tueor, est quod gaudeam :
Nam multa livor inter habet hoc proprium :
Dolore dominum semper opulentat suum.

19. *Euripides.*

Jam sæpe vidi vindices juris bonos
Vinci veneno tristis invidentiæ.

20. *Idem Alexandro.*

Heu pereo mentis propter excellentiam,
Aliis saluti quæ fuit mortalibus.

21. *Epicharmus.*

Quis velit non invidendus, o amici, vivere,
Quando qui non invidetur nullius pretii est homo?
Quippe cæcum qui tuetur indolet, non invidet.

22. *Pindarus.*

Multo invideri optatius
Movere quam fletum alteri.

23. *Agatho.*

Sapientiæ ergo melius inviderier,
Quam propter aurum.

24. *Philemon.*

[y] Nimium benigne dum doces, nimium invides,
Idque agis ut hæc tot audiens discam nihil.

25. *Hesiodus Operibus.*

Sic figulo figulus, fabro faber invidet, et sic
Odit inops inopem, sic vatem denique vates.

26. *Sophocles Creusa.*

Non divitiis, non conjugio

[y] Refer ad Tit. XXXVI.

Mihi contingat superare modum:
Quippe infestæ livore viæ.

27. *Idem Epigonis.*

Pressum solent livore rumores mali
In prava potius trahere, quam in recti viam.

Lucilius. [Anthol. Pal. XI. 192.]

Cum cruce vicinum figi majore videret
Quam sese Diophon, tabuit invidia.

Incertus.

Invidia ipsa suis consumitur undique telis.

Incertus. [Anthol. Pal. XI. 193.]

Pessima res livor: sed habet laudabile quiddam,
Liventi quod cor exedit atque oculos.

Palladas. [Anthol. Pal. X. 51.]

Invidear potius, quam sim miserabilis, inquit
Pindarus. Excellunt, quos petit invidia.
Pessima perpessos miserescimus: ast ego felix
Nec nimium, nimium nec miser esse velim.
Optima res modus est: summis affine periclum:
Infima contemtum ludibriumque ferunt.

Idem. [Anthol. Pal. X. 90.]

O summa mentis invidæ perversitas:
Odit beatos invidus, caros Deo.
Ita cæca nos invidia vecordes rapit:
Ita mancipamus sponte nos amentiæ.
In pulverem redacta gens Græci sumus,
Quos mortuorum spes sepulchrales fovent:
Versa atque conturbata sunt adeo omnia.

Idem. [Anthol. Pal. X. 91.]

Prosequitur odio quisquis adamatum Deo,
Damnatus ille maximæ est insaniæ,
Deum lacessens Marte manifestario:
Iram reportans præmium invidentiæ.
Et nos decet diligere dilectos Deo.

Sophocles Ajace.

Serpit juxta livor habentem.

Phocylides.

Alterius lætis noli macrescere rebus.
Invidia cælum vacat et gens tota Deorum:
Non Phœbi radiis majoribus invida Phœbe,
Non terra inferior cæli laquearibus altis,
Non amnes pelago: sed habent hæc omnia pacem.

28. *Æschylus.*

Paucis id adeo est insitum mortalibus,
Feliciores ut sine invidia colant.

29. *Menander.*

Adolescens, id quod res est non intelligis.
Vitio suopte consumuntur singula,
Et rei cujusque pernities intus latet.
Hoc est ferrugo ferro, si consideres,
Ligno teredo, tineæque vestibus.
Invidia vero, quod malorum pessimum est,
Tabem creavit et creabit et creat,
Vere satelles animi corrupti impia.

TITULUS XXXIX.

DE PATRIA.

1. *Euripides.*

Omnes amantes patriæ pro publica
Salute verbis reque conniti decet.

2. *Incertus.*

Patriam ut recuperes ne labor tibi sit gravis.

3. *Euripides Phœnissis.*

A. Homini, ut videtur, patria res dulcissima est.
B. Quam dulcis illa fando non possim assequi.

4. *Incertus.*

Patriam dulce est habitare bonis,

Et congesto gratius auro.
Adeo est assuescere multum.

5. *Incertus.*

Vita lugubris paterno degere extorrem solo.

6. *Euripides Ægeo.*

Nam quid paterno dulcius tandem solo?

7. *Idem Dictye.*

Ni pravus esses, patriæ nunquam tuæ
Contemtor, hæc externa laudares sola.

8. *Ibidem.*

Nam me quidem censore non recte sapit
Qui patriam collaudat alienam, suæ
Contemtor, inque non suos mores abit.

9. *Idem Phœnice.*

Salve meorum terra majorum parens!
Eheu! ut homini quamlibet presso malis
Altrice nulla dulcior tellus humo.

10. *Idem.*

Spartam tibi quæ contigit orna:
Nobis fuerint cura Mycenæ.

11. *Menander Heauton Timorumeno.*

Vere beatus qui sit, in patria sua
Debet manere et liber, aut potius mori.

12. *Sophocles Tereo.*

Beatum te puto vitæ, hoc magis
Quod dura nescis tristis exilii mala.

13. *Euripides Philoctete.*

Beatus ille, qui domi felix manet.

14. *Æschylus.*

Manere debet quisquis est felix domi:
Manere ibidem quisquis infelix agit.

15. *Theognis.*

Ornabo tenuem patriam, nec civibus exstans,
Nec pravis præbens moribus obsequium.

16. *Sophocles.*

Quicunque patriæ vivit inimicus suæ,
Hunc nolo amicum. Sospitatrix civium
Est patria: rectos illa dum cursus tenet,
Vectoribus conserere sermones vacat.
His institutis hanc ego urbem munio.

17. *Euripides Phœnissis.*

I. Magnumne patria vivere extorrem malum?
P. Nîl majus isto: nec satis fando assequar.
I. Quæ causa, quæ res tam grave exsilium facit?
P. Primum, loquendi nulla libertas adest.
I. Servile certe, non loqui quæ sentias.

18. *Homerus.*

Felix auspicium patriam defendere bello.

19. *Idem.*

Ite viri, atque rates propter decernite, donec
Quilibet inveniat jactu sibi fata vel ictu.
Quid tum si cadat? hoc patriam non turpe tuenti.

20. *Idem Odyssea.*

Nec fata recusat,
Fumum de patriis possit dum cernere tectis,
Dux Laertiades.

21. *Ibidem.*

Ah tam suave nihil quam patria, quamque parentes.

22. *Euripides Phœnissis.*

Medios in hostes, mater, imprudens ego
Prudensque veni: patriam necessitas
Amare cogit: quisquis hoc hominum negat,
Sese ipse verbis pascit: at idem cogitat.

TITULUS XL.

DE EXILIO.

1. *Euripides Philoctete.*

[z] Fortuna læta patriæ levat altius
Stantes, jacentes durius contra premit.

2. *Idem Phaëthonte.*

Ubicunque recte vixeris, patriam puta.

3. *Incertus.*

[a] Argivus an Thebanus? haud unam mihi
Asscribo: patria est Graia qua tellus patet.

8. *Euripides Phœnissis.*

[b] Sepelite quæso me, parens, tuque o soror,
Humo in paterna: civitas per vos mihi
Placata fiat hactenus, patriæ meæ
Ut condar in tellure, si regno excidi.

Ib. *Incertus.*

[c] Amica tellus me sua gleba tegat.

Ib. *Euripides Phœnissis.*

[d] Tua o, tua oculos dextera occludat meos,
Mater.

9. *Idem.*

Patet omne cælum præpeti Jovis aliti:
Ita terra quævis patria est forti viro.

TITULUS XLI.

DE ARCANIS.

1. *Euripides Ino.*

Tacenda quæ sunt nemo per te intelligat.
Fax parva facile montis Idæi nemus

[z] Refer ad Tit. XXXIX. [a] Eodem. [b] Eodem.
[c] Eodem. [d] Refer ad Tit. CXXIV.

Totum cremarit. Dixeris uni, cito
Rumor per urbem fiet arcanum tuum.

2. *Anaxandrides.*

Qui commendatum sibi sermonem acceperit,
Injustus est, aut impotens si eliminet.
Qui lucri causa, injustus; qui aliter, impotens:
Et hic et ille pariter ex æquo mali.

3. *Sophocles.*

Quod vis taceri, nolo mihi commiseris:
Non habeo claustrum, visne loquar apertius?
Tenere lingua quicquid arcanum est negat.

4. *Idem Aleadis.*

Ne sciscitare: multa fari haud expedit.

9. *Pythagoras.*

Puris pura canam: procul hinc arcete profanos.

TITULUS XLII.

DE CALUMNIA.

1. *Menander Bœotia.*

Habenda non est insuper calumnia
Quantumvis falsa, nam sunt qui augere assolent:
Quapropter ista præcavere negotium est.

2. *Cleanthes.*

Calumnia res nulla pestilentior,
Quæ decipit mala arte credentem sibi,
Et immerenti pertinax odium struit.

3. *Euripides Alexandro.*

O rex, malorum maximum calumnia est.
Nam sæpe qui superatur eloquentia,
Utcunque justa dixerit, causa cadit.

4. *Menander.*

Calumniæ vi sævius nullum est malum:
Dedecore namque crimen alterius suo
Luat necesse est accusatus innocens.

5. *Idem.*

Suspicio factis plus valet ad calumniam.

6. *Idem.*

Qui mentem addicit credulam calumniis,
Aut ipse est pravis inquinatus moribus,
Aut certe ingenio nil supra puerum valet.

TITULUS XLIII.

DE REPUBLICA.

1. *Euripides Phœnissis.*

Si civium animis illud infixum foret,
Quicquid suarum virium est, id commodis
Conferre patriæ, cuncta superarent mala
Tutæ beato civitates otio.

2. *Idem Phaëthonte.*

Animi ille vecors est, mea sententia,
Quicunque natis mente non pollentibus
Popularibusve fræna tradit imperî.

3. *Incertus.*

Haud tuta navis una quam tenet anchora,
Ut quæ tribus se credit. Haud recte regat
Vir unus urbem: satius adjungi alterum.

4. *Euripides Phryxo.*

Non solitudo sed viri sunt civitas.

6. *Sophocles Phædra.*

Constare nescit patriæ securitas,
Ubi superbo jura calcantur pede,
Pudorque sanctus; virque verbosus, tenens
Manibus habenas callidis, urbem regit.

6. *Idem Aleadis.*

Quid ad hæc dicam mens ambigua est.
Ubi degeneres vicere bonos,
Quænam urbs subsistere posset?

7. *Idem Eriphyle.*

Ubi profutura liberum non est loqui,
Sed victa cedit civitas pejoribus,
Periclitatur sæpe peccando salus.

8. *Bion Bucolicis.*

Ne me destituas sine munere. Dona canenti
Ipse dedit Phœbus. Pulchras honor educat artes.

9. *Eupolis.*

Ex multis quæ dicenda sunt non video unde incipissam.
Adeo hanc videre civitatem nequeo sine dolore.
Nos, o senes, rempublicam non talem habuimus olim:
Sed imperatores erant ducesque civitati
De gentibus primoribus, deque eminente censu,
Quos venerabamur ut Deos: et erant Dei profecto.
Ita res secura tum stetit. Nunc, sicubi militandum est,
Præficimus bello et copiis homines piaculares.

10. *Euripides Supplicibus.*

Tres namque classes civium: pars divites
Inutilesque et opibus insatiabiles:
Pars capite censi turba proletaria,
Qui nihil habentes invident habentibus,
Stimulisque linguæ sæva figunt vulnera,
Amata pravis factio rectoribus.
At servat urbem de tribus medium genus,
Custodientes qui placet legi modum.

11. *Sophocles.*

Ubi pueri ipsos præsides urbis regunt,
Morata non est, ut decebat, civitas.

12. *Euripides.*

Status urbis æger ad mala ingenio valet.

13. *Idem.*

[e] Nil geritur æqui rebus in mortalium.

[e] Refer ad Tit. CV.

Oportuit nil posse fortunæ vagæ
Arbitria, sed conspicua florere omnia,
Ut qui vigore roboris primus foret,
Seu tendere arcum, seu vibrare hastam manu,
Suo imperaret jure deterioribus.

14. *Sophocles Ajace.*

Male educatæ præbet indicium indolis
Civis recusans obsequi rectoribus.
Non civitatem sancta majestas diu
Frænare legum poterit amoto metu,
Nec disciplinæ castra servabunt modum
Quæ non pudor munierit et reverentia.

15. *Menander Incensa.*

[f] Tria sunt, here,
Ex queis geruntur cuncta: nempe ex legibus,
Aut ex necessitate, aut consuetudine.

16. *Euripides.*

Quod ipse deliqui alteri non suaserim,
Ut solia regni liberis tradat suis,
Oculos priusquam sentiat tenebris premi,
Ne sobolis ipse debeat legem pati.

17. *Sophocles Ajace.*

Ubi insolenter cuncta pro libidine
Impune facere est, civitas felicibus
Nimis usa ventis naufraga in fundum ruet.
Sit ergo temperata libertas metu:
Nec arbitremur nos, patrantes quæ juvent,
Non illa mox debere quæ doleant pati.
Sunt ista vicibus nexa.

18. *Ibidem.*

Serpit juxta livor habentem:
Plebs nuda tamen, tolle potentes,
Haud præsidii satis ipsa sibi est.

[f] Refer ad Tit. XLIV.

Modicus validi, validusque iterum
Modici sese sustentat ope:
Sed non possunt mentes stupidæ
Tam provida dicta doceri.

19. *Euripides Hecuba.*

Totus laborat urbis infelix status,
Quotiens vir acer et bono patriæ studens
Nihil refert insigne præ pejoribus.

20. *Idem Æolo.*

Possetne summa stare res, locupletibus
Si plebs remotis pauper habitaret solum?
Sejuncta nolunt a malis poni bona,
Quæ temperata publicam rem promovent.
Quod deſit inopi, supplet hoc dives manus:
Quod non habemus divites, hoc pauperum
Labor ministrans nos honoratos facit.

21. *Idem Antigona.*

Domestica odia civibus nasci solent,
Cum factiones civitatem distrahunt.

22. *Idem Alcmena.*

Res est optima veritas
Justi in principis urbe.

23. *Menander.*

Vir probus, idemque felix, publicum est bonum.

24. *Idem.*

Honesti ratio plus lege interdum valet.

25. *Sophocles.*

[g] Res est honesta patrias leges sequi.

26. *Idem.*

Summum malorum est populus impatiens regi.

27. *Heniochus.*

Jam singularum nomen expromam tibi:

[g] Refer ad Tit. XLIV.

At universim plurimas urbes vides,
Quæ jam desipiunt inde a multo tempore.
Forte interpellet aliquis, et, cur hoc loco
Sint pariter omnes, quærat. Ergo a me audiat.
Quæcunque circum spatia telluris patent,
Olympia hæc sunt. Illam jam scenam aspice:
Spectacularem eam esse persuade tibi.
Esto. Quid inibi civitates nunc agunt?
Venerunt libertati facturæ sacra,
Quoniam tributis liberatæ sunt modo.
Sed postquam a sacro ventum est, illas perdidit
Conviviis excipiens de die in diem
Per multum tempus hospes imprudentia.
Tum geminæ ad illas accesserunt mulieres
Quæ cuncta conturbarunt. Optimatitas
Est nomen alteri, alteri Popularitas,
Quarum incitatu pridem externatæ furunt.

28. *Aristophanes Ranis.*

Civium quos genere claros, quos modestos novimus,
Juris et veri tenaces, recte moratos, probos,
In palæstra exercitatos, et choris, et musica,
Hos fugamus: at peregrinis et fabris et Byrrhiis,
Genere nequam, mente nequam, tradimus rempublicam,
Civitas quibus olim nollet uti pro piaculo.
Nunc at insensata tandem turba, versis moribus,
Nobiles adhibete rebus. Siquid eveniet bene,
Recte erit: sin male ceciderit, attamen sapientiæ
Pars erit, pati quod instat, arbore ex digna pati.

29. *Euripides.*

[h] Urbes prospero servat statu
Legum sacrarum diligens custodia.

[h] Refer ad Tit. XLIV.

30. *Menander.*

Injuriarum si improbis auctoribus
Reponeremus ultionem singuli,
Nobis putantes fieri quod fit alteri,
Inter nos juncti conspiratis viribus,
Non prævaleret innocentiæ impetus
Audax malorum: qui custoditi undique,
Jussique pœnas quas merentur pendere,
Aut nulli penitus essent, aut pauci admodum.

TITULUS XLIV.

DE LEGIBUS ET CONSUETUDINE.

1. *Euripides.*

[i] Æquum est malos
Melioribus parere et imperium pati.

2. *Idem Dictye.*

[j] Noli tyrannis, o senex, contendere.

3. *Menander Adelphis.*

[k] *A.* Antiqua lex est ista, rectores cole.
[l] *B.* Non usquequaque hominibus cedendum est malis,
Sed obnitendum sæpe, ni totam undique
Sursum deorsum volumus vitam vortier.

4. *Euripides Erechtheo.*

[m] Mandare noli non probis rempublicam:
Namque impiorum natio gazam sibi,
Vel imperî vim nacta desultat ferox,
Crevisse cernens spem supra subito lares.

5. *Menander Androgyno.*

Magni æstimandum semper est assuescere.

6. *Euripides Supplicibus.*

Utilius urbi legibus nihil est bonis,

[i] Refer ad Tit. XLVI. [j] Refer ad Tit. XLVII. [k] Refer ad Tit. XLVI.
[l] Refer ad Tit. XLIII. [m] Refer ad Tit. XLVI.

Per quas potens pauperque tantundem ferunt,
Æqualitatis arbitro libramine:
Vincitque fretus jure majorem minor.

7. *Sophocles Ajace.*

[n] In posterum Dîs cedere immortalibus
Discemus ergo, colere et Atridas duos:
Nam principes sunt. Obsequendum. Quippe ni?
Cum valida rerum quæque et invictissima
Cedant honori. Nivibus horrescens hyems
Fruges ferenti tribuit æstati locum:
Desurgit atro nox globo, cum candidis
Veniens quadrigis lumen accendit dies:
Gravibus procellis ventus agitatum mare
Tandem remittit: ipse cunctidomus sopor
Sua vincla solvit, nîlque perpetuo tenet.

8. *Menander.*

Lex res egregia est: at qui nimium respicit
Leges calumniantis personam induit.

[o] TITULUS XLV.

DE POTENTIBUS IN CIVITATE.

1. *Euripides.*

Quicunque pauper ære violenta manu
Nimium videt se posse, non se continet
Quin impotenter raptet alienas opes.

2. *Idem Bacchis.*

Opulentus atque animosus et fandi potens,
Ni sapiat, urbi civis est valde malus.

3. *Idem Glauco.*

Quoties secundis rebus exsultat nocens,
Victæ bonorum languidæ mentes jacent,
Specimen tuentes improbæ licentiæ.

[n] Refer ad Tit. XLVI.

[o] Poterat conjungi cum Tit. sequente.

4. *Ibidem.*

In civitate qui locum primum tenent
Odere semper æmulos hostiliter.

5. *Idem Oreste.*

Qui mente pravus, blandus eloquentia,
Populum aure ducit, pestis est urbi nocens:
Consilia sed qui provide impertit bona,
Si non placet nunc, at placebit postea.

6. *Idem Hecuba.*

Ut prava dicas, quæ tua est auctoritas,
Movebit animos. Nam viri prænobilis,
Et tenuis, idem sermo diversum valet.

7. *Incertus.*

Potentum in urbe ratio habetur maxima.

8. *Menander.*

Qui civitatis principem servat locum,
Nil invidenda ei opus est eloquentia,
Sed tali morum quam facilitas temperet.

9. *Euripides Alcmena.*

[p] Desipere cesset, se quoque esse hominem memor,
Qui fretus opibus patriæ insultat suæ.

10. *Idem Medea.*

[q] Peregrinus urbi quam colit se accommodet:
Quin civis etiam durus in cives suos
Dat imperitæ signa contumaciæ.

11. *Sophocles.*

Tenens honores eget honestis dotibus:
Parvum laborem grande non sequitur decus.

12. *Euripides Alcmena.*

Hominem beatum sapere præcipue decet.

13. *Idem Æolo.*

Belli domique principes nolim viros

[p] Refer ad Tit. XLIX. [q] Refer ad Tit. XLII.

In res minutas perdere ingenii decus:
Sed ubi necesse est acre consilium dare.

14. *Æschylus.*

Sunt onera non ferenda felices mali.

15. *Sophocles Antigona.*

Non ante noris quod sit ingenium viro,
Qua mente, qua sit præditus sententia,
Ni regimen urbis atque legum acceperit.
Nam quisquis urbis ad gubernaclum sedens
Non semper audet pulchra consilia aggredi,
Sed ora clausa retinet ignavo metu,
Hunc pessimum esse credo, et antehac credidi.
Tum si quis urbi publicisque commodis
Præfert amicum, nullius pretii est mihi.
Ego quippe (testor cuncta qui spectat Jovem)
Tacere nequeam, noxium virus meis
Si pro remedio civibus cernam dari.

TITULUS XLVI.

DE MAGISTRATU, ET QUALEM OPORTEAT ESSE EUM QUI MAGISTRATUM GERIT.

1. *Euripides Syleo.*

Justis amicus et bonis, contra malis,
Ubique quot sunt, hostis infestissimus.

2. *Idem Heraclidis.*

Quis statuat aliquid aut ferat sententiam,
Nisi justa partis utriusque audiverit?

3. *Idem.*

Hunc qui facinorum conscius, nec legibus
Fidens, ad aras volvitur supplex Deum,
Trahere ad tribunal nulla relligio mihi.
Mala semper æquum ferre, qui fecit male.

4. *Idem Supplicibus.*

Oblata quamvis dona amicorum manu

Nunquam recepit: spiritu celso negans
Emancipare quæstui mores suos.
Culpam ferebat semper illo judice
Reus ipse, non urbs patria, quæ passim mali
Rectoris ergo sustinet calumniam.

5. *Idem Oreste.*

Cum populus asper bile commota furit,
Indomita qualis flamma restingui negat,
Si quis secutus vela tendentem, simul
Pedem relaxet, apta captans tempora,
Tumor ille forte sidet, et cum sederit,
Tum nil quod impetrare desperes erit.

Sophocles Tyro.

Miserari oportet jura, non homines malos.

6. *Incertus.*

[r] Non est malus qui sponte non peccat sua.

7. *Menander.*

Quicunque damnat causa non bene cognita,
Damnandus ipse est credulitatis crimine.

8. *Chæremon.*

Cognosce causam, qui sapis tarde. Suum
Facit ipse crimen qui properiter judicat.

9. *Euripides Auge.*

Miserari oportet jura, non homines malos.

10. *Idem Scirone.*

Res pulcherrima est,
Punire sontes.

11. *Menander.*

Quæ nunc vocari bonitas ita vulgo solet,
Dimisit vitam penitus in mores malos,
Quia commeatum sceleri facit impunitas.

[r] Refer ad Tit. II.

12. *Pindarus.*

Qui contumeliosus est in alterum
Et ipse tantundem ferat.

13. *Sophocles.*

Laudo: sed et tu noveris verbum vetus:
Vir clarus humili sæpe de sorte exiit.

14. *Moschio.*

Iram repelle, et verba tibi quæ proferam
Pacatus audi. Quæ benignum oratio
Nacta audientem est, non caret fructu suo.

15. *Apollodorus.*

Orationem qui audit, ut bene judicet,
Prius ipse secum de oratore judicet,
Quis sit, cujatis, qua domo, qualis, quibus
Puertia abusque studiis sese addixerit.
Nam qui suum ipse florem ætatis prodidit,
Apprime est aptus civitatem evertere.
Non illi turpe excidere et explodi putant.
Nihil relinquunt intentatum, cum pudor
Postico elapsus pridem ab ipsis fugerit.
Horum quisque audet experiturque omnia,
Contra ruborem frontis invictissimæ,
Mendax, perjurus testis, sartor litium,
Fur, publicanus, comessator, denique
Tribum cinædus perdit, aut urbem quoque.
Namque urbes totas, ista quas pessum dedit
Scabies, si advortas, recitem tot numero, Theon,
Recitare ut censum navium me existimes.

TITULUS XLVII.

PULCHERRIMAM REM ESSE REGNUM.

1. *Homerus Iliade.*

Imperitare malum plures. Rex unicus esto,
Et rerum dominus.

2. *Ibidem.*

Magni animi regum, queis est honor ab Jove summo.
Ab Jove regis honos, et amat rex Juppiter illum.

3. *Euripides Phœnissis.*

Ego, mater (animi nec tegam sensus mei)
Peterem vel imas mersa sub terras loca,
Vel solis ortus, fata si hac sinerent via
Potentiam reperire, quæ prima est Deûm.

4. *Ibidem.*

Nam jura si violanda, regni gratia
Violanda: pietas cæterum vitæ regat.

5. *Idem Archelao.*

Regnum tenenti defit ad vitam Deûm
Immunitate mortis excepta nihil.

6. *Idem Ægeo.*

Perferre regnum rege sub justo juvat.

7. *Hesiodus Theogonia.*

Ab Jove sunt reges, felix sed et ille Camœnis
Dilectus dulcem qui fundit ab ore loquelam.

TITULUS XLVIII.

ADMONITIONES DE REGNO.

1. *Euripides Plisthene.*

Nec tota vulgo fræna committe imperî,
Tribuens nec opibus plus satis, plebem preme.
Plebis tuentem jura nec pelle exsulem,
Nec honore nimium tolle; ne popularibus
Suffultus auris vindicet regnum sibi.

Hunc qui secures raptat indignus cave:
Gravissima urbi noxa, felices mali.

2. *Idem.*

Virum potentem non decet, me judice,
Minimeque regem vilibus contendere.
Namque hoc minores gloriæ ducunt sibi.

3. *Idem Antiopa.*

[s] Amans quietis animus et amicis bonus
Et civitati. Qui volet, famam sibi
Quærat periclis: ego nec audaces nimis
Nautas, nec urbis præsides laudaverim.

4. *Idem Antigona.*

Regi placere plurimis tutissimum.

5. *Idem.*

Dat sapere regi turba sapientum comes.

6. *Sophocles Œdipo.*

Hoc si tenebis, quod tenes, regnum diu,
Præstabit homines quam solum vacuum regas.
Nam quid vel arx est alta vel picta ratis
Prora refulgens, vidua si est intus virûm?

7. *Menander.*

Eximia res est rex antestans robore,
Servans judiciis juris sanctimoniam.

8. *Homerus Iliade.*

Tota nocte sopor non est bene consiliantis,
Sub quo tot populi, cui tanta et talia curæ.

9. *Idem.*

Grandævum legit inprimis fortemque senatum,
Ipse gerens cunctis miti se pectore patrem:
Nîl pravum facere, ad populum nîl turpe profari
Audens, ut decuit sacratos vivere reges.

10. *Hesiodus Theogonia.*

Namque ideo inventi reges, ut sede curuli

[s] Refer ad Tit. XLVI.

Sublimes læsis ereptum restituant jus,
Mulcentes populi blandis sermonibus aures.

11. *Theocritus.*

Morum liberrimus ille,
Ingenio comi, Musis et amoribus apto,
Qui verum falso distinguere norit amicum,
Multa dare et multis largus, facilisque petenti,
Convenit ut regi: non est tamen usque petendum.

12. *Hesiodus Theogonia.*

Calliope reliquas vincit formosa sorores,
Quæ sese comitem sacratis regibus addit.
Nam quemcunque satum divino sanguine regem
Nascentem placido viderunt lumine Musæ,
Illius in dulcem destillant carmina linguam,
Illi melle fluit vox dulcior: omnis in illum
Ora simul vertit populus, cum limite vero
Ambiguum causæ secat et certamina magna
Compescit, subito sapientia verba profatus.

TITULUS XLIX.

DE VITUPERIO REGNI.

1. *Euripides Supplicibus.*

Nihil tyranno civitati infestius:
Commune nec enim civibus jus est, ubi
Leges in ipsas unus imperium tenet.

2. *Idem Ione.*

Laudata multis temere blanditur quidem
Regni potestas fronte, sed luctus graves
Occultat intus. Quomodo felix foret,
Qui cuncta circumspectat et mœstam trahit
Timore vitam? fata si fingam mea,
Civis beatus esse quam rex mavelim:

Nam rex amicos pessimos quærit sibi,
Bonos perosus mortis ob formidinem.

3. *Idem Auge.*

Pereat profecto, quisquis aut regnum appetit,
Aut civitatem tradit in paucas manus.
At dulce nomen alma libertas mihi:
Nam quisque minimum quod habet, hoc magni facit.

4. *Idem Electra.*

[t] Multos amantes et petitores sui
Habet potestas: quo tenenda est acrius.

5. *Euripides Antigona.*

Utinam nec ulla imperia nec leges forent.
Regnare velle maxima imprudentia est,
Nam cur habebit unus imperium in pares?

6. *Idem Alcmæone.*

Heu magna magnis sunt malis obnoxia.

7. *Idem Peliasi.*

Exlex potestas ista, quam vulgo stupent,
Nil aliud est quam splendida infelicitas.
Nam qui suorum est ipse prædo et carnifex,
Molitiones semper aliorum timet.

8. *Menander Aspide.*

Reges o miserrimi.
Nam quid præcipuum tandem habent! atque interim
Quam vitam ducunt anxiam, custodiis
Septi undequaque et munimentis arcium?
Nam qui tam facile suspicantur singulos
Ad sese armatos pugione accedere,
Supplicia pendunt quanta!

9. *Dionysius.*

Dominatio omnis mater est injuriæ.

10. *Sophocles Œdipode.*

O regnum opesque et artis eximium decus,

[t] Refer ad Tit. XLVIII.

Quæ, quanta vobis instat invidentia
Vitæ inquietis æmulo in certamine!

11. *Ibidem.*

Rerum satietas insolens
Mundo tyrannum protulit.

12. *Idem Ajace.*

Difficile regi instare pietatis viam.

13. *Idem Polyxena.*

Nemo imperator se potest exercitus
Jactare cunctis largitate gratiæ:
Nec ipse qui me latius regnat Deus,
Seu siccat agros, imbre seu fuso rigat,
In jus vocatus omnibus causam probet.
Mortalis ergo, matre mortali satus,
Quînam Jovem ipsum vincerem prudentia?

TITULUS L.

DE BELLO.

1. *Euripides.*

Mutat favorem sæpe bellorum alea:
Florem juventæ Mars superbus pignerat,
Oditque segnes: civitati nascitur
Hinc luctus ingens, mortuis ingens decus.

2. *Aratus Phænomenis.*

Ferrea tum vero proles exorta repente est,
Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum, domitumque juvencum.

3. *Pindarus Hyporchematis.*

Dulce Mars inexpertis:
Expertus arma corde cernit invito.

4. *Homerus Iliade.*

Indignus legum auxilio laribusque tribuque,
Qui cives inter feralia suscitat arma.

Urbs abit in flammas: cadit alta strage virûm gens:
Pignora parva trahunt alii captiva, nurusque.

6. *Euripides Æolo.*

[u] Audere cogit sæpe nos necessitas.

7. *Tyrtæus.*

Audite, invicti quando genus Herculis estis:
  Obstipo nondum Juppiter est capite.
Ne stantum contra numerum trepidate virorum,
  Sed parmam primis objicite agminibus.
Projicite ex animo hanc animam, nec lumina solis
  Quærite præ Mortis nocte soporifera:
Scitis enim, sævi quam facta illustria Martis,
  Quam sit bellorum nobilis ille furor,
Sæpe fugam experti, fugientes sæpe secuti:
  O juvenes sors vos ista, nec ista latet.
Nam qui consertis clypeorum umbonibus audent
  Cominus in primos vulnera ferre viros,
Sæpe minus pereunt, et servant pone sequentes:
  At timidis virtus undique disperiit.
Nec quisquam fando valeat memorare malorum
  Degeneres animos millia quanta premunt.
Turpe etenim trepido fugientem prælia cursu
  Imbelli dorso vulnera suscipere:
Turpe et pulverea stratum tellure cadaver,
  Cujus ab hostili cuspide terga rubent.
Sed bene progressus miles pede calcet utroque
  Tellurem, et labrum dente premat tacito:
Crus, latosque humeros, et pectus forte, femurque
  Ventroso clypeus ferreus orbe tegat:
Dextera sed validam summa vi torqueat hastam,
  Pennata et galeam crista supervolitet.
Discite belligeram faciendo fortiter artem:
  Munitum scuto tela timere nefas.

[u] Refer ad Tit. LI.

Cominus aggrediens protentam quilibet hastam,
  Vel gladium hostili deprimat in latere:
Hæreat et scutum scuto, stabilisque pedi pes,
  Tum conus cono, tum galeæ galea:
Pectora pectoribus coeant: sic ipsius hostis
  Vel telum manibus prendite, vel capulum.
Tu vero interea veles post scuta latescens,
  Nec lapidum densis imbribus obruere,
Nec cessa jaculis obstantem figere turbam:
  Te teget armato milite densa cohors.

[w] TITULUS LI.

AUDACIÆ LAUS.

1. *Tyrtæus.*

Non ullo in pretio, non ulla laude notandus,
  Sive pedis celeris, sive manus pugilis,
Sit licet et vasto Cyclopum corpore major,
  Et superet cursu Threicium Boream,
Tum pulchræ vincat Tithonum munere formæ,
  Divitiis Cynaram, divitiisque Midam,
Tantalidam Pelopem diffuso limite regni,
  Adrastum blandi vocibus eloquii,
Omnia quin habeat, si desit adorea belli:
  Quippe usus nullos tempore Martis habet,
Qui non intrepidus cædem spectare cruentam,
  Consertumque hosti gaudet habere pedem.
Hoc vere solidum certamen, et unica virtus
  Æterno juvenes quæ decorat decore.

2. *Euripides Temenisi.*

[x] Pulcherrimum est certamen armis vincere.

3. *Idem Temeno.*

Audere decet. Tempestivi

[w] Poterat conjungi cum Tit. VII.

[x] Refer ad Tit. LIII.

Namque labores hominum generi
Finem peperere beatum.

4. *Idem Archelao.*

Audere semper fortiter juvenes decet:
Nam gloriæ exsors semper est ignavia:
Celebritatem sanguis et sudor ferunt.

5. *Tyrtæus.*

Res populi commune bonum vir robore præstans,
Immotus primis qui stat in ordinibus,
Oblitusque fugæ venit in certamina Martis,
Adjiciens animum, projiciens animam:
Qui propter stantem generosæ mortis amore
Concitat: hunc bello dixeris egregium:
Quem subito hostiles pavitant fugitantque catervæ:
Qui belli fluctus arte manuque regit:
Qui dulcem amittit, sed primus, in agmine vitam:
Magnus honor generi, magnus honor patriæ.
Vulnera multa ferens, adversa sed omnia, fosso
Pectore, lorica nec minus, et clypeo.
Hujus ad exequias plorant juvenesque senesque:
Hunc tota urbs planctu funera prosequitur:
Sed nec honore caret tumulus, sobolesque superstes,
Et sobolis soboles, totaque posteritas:
Semper honos nomenque manent et posthuma fama:
Sub tellure siti gloria morte caret:
Scilicet intrepidum quem stantem et belligerantem
Pro patria et natis Mars ferus abripuit.
Fugerit at nigræ si longa silentia noctis,
Et spolia e bello victor opima ferat,
Hunc venerata minor colit, hunc et serior ætas:
Sic tumulum multo plenus honore petit:
Cujus honoratam populo nec vocibus ausit
Nec dictis quisquam lædere canitiem:
Assurgunt illi juvenes æquævaque turba:

Assurgunt ævo jam graviore senes.
Hoc nunc quisque paret virtutis scandere culmen,
Bellum indefesso sollicitans studio.

6. *Euripides.*

Adolescit hominum rebus ex duris decus.

7. *Idem Archelao.*

Me laborem sumere
An est iniquum? quem pigrum fama accipit?
Quis concupivit magna inerti pectore?

8. *Idem Telepho.*

Aude aliquid, quamvis dent tibi dura Dei.

9. *Idem Archelao.*

Imbelle vulgus anteeunt pauci et boni.

10. *Idem Hippolyto.*

Mortalium fortuna fas nescit sequi:
Sed vi manuque cernimus quæri et rapi
Quodcunque rerum est, occupandum audaciæ.

11. *Idem Ixione.*

Consilia cuncta ducit ad victoriam
Intrepida virtus. Sine laborum impendio
Nec regna fiunt magna, nec crescunt domus.

12. *Idem Erechtheo.*

Imbellium agmen sperno præ paucis bonis.

13. *Idem Andromacha.*

Multis juvenibus præstat animosus senex.
Nam quo paventi corporis validi vigor?
Quin satius est cum laude nec inultum mori,
Quam vivere ut sine laude moriaris tamen.

14. *Idem.*

Florens juventa prælium quisquis fugit,
Sine re coma est caroque, præterea nihil.
Jucunda quam sit vita mensarum vides,
Circumstrepentis quale fortunæ jubar:
Sed abest superbæ clara laus adoreæ,

Nisi periclum provocans adsit vigor.
Duri labores Martium pariunt decus.
Graium per orbem fœda res ignavia est,
Nîl expetiscens præter unum vivere.

15. *Homerus Iliade.*

Imbelli et pavido frons vertitur, et color omnis:
Mens animi negat ipsa intra præcordia claudi,
Sed genuum tenus atque pedes subsidit in imos:
Palpitat interea sub pectore tabificum cor
Mortis fata pavens, nec cessant stridere dentes.
At contra forti constat color, et metus omnis
Immoderatus abest.

17. *Evenus.*

Audere egregium est atque utile, si sapere adsit:
Abjunctum clades et mala ferre solet.

18. *Antiphanes.*

Necessitas nos quando moriendi tenet,
Nimium gravis jactura est mortem perdere.

19. *Callinus.*

Quonam hic usque tepor juvenes, quando ignea vobis
Vis animi? non vos Amphiperictyonum
Tam segnes censura movet? vos alta putatis
Otia, cum tellus undique Marte fremat.
Jam quicunque vir est scutum ferat obvius hosti,
Et jaculum vibret vel moriente manu.
Gloria namque ingens adoriri cominus hostem,
Pro grege natorum conjugeque et patria.
Fortibus et pavidis condicto tempore mortem
Parca feret. Rectum quilibet interea
Protendat gladium, clypeo generosa recondens
Pectora, dum primo sanguine pugna calet.
A fato nulli mortis fit gratia, non si
Auctores generis sit numerare Deos.
Sæpe aliquem elapsum circumstridentia tela

In lare privato mors inopina rapit:
Mors vilis populo, et nullum meritura favorem.
Fortem plebs celebrat, grataque nobilitas,
Sive cadens populi gemitus expressit amantis,
Seu vivens auget semideûm numeros,
Vertitque in se oculos ceu celso vertice turris:
Quippe unus multos laudibus exsuperans.

20. *Menander.*

Viaticum vitæ optimum est audacia.

21. *Moschio.*

Sæpe per silvam brevi
Dejecta ferro brachia alnorum jacent:
Sæpe agmen ingens parva concîdit manus.

22. *Pindarus Olympicis.*

Periculosæ si quod est opus aleæ,
Recusat imbellem virum.

23. *Sositheus Misero.*

Ut una volucres aquila sexcentas fugat,
Ita una bene docta anima turbam ignobilem.

24. *Sophocles Scyriis.*

Juvenes amat raptare Bellonæ furor.

25. *Menander.*

Nullum nobilius numen est audacia.

26. *Æschylus Caribus.*

At sibi vindicat
Homicida Mavors robora ipsa exercitus.

27. *Menander Sponsore.*

Vulgi audacia
In moliendo turbidas curas habet:
At inter actus, si bona est occasio,
Inopinus ultro casus ingenium facit.

TITULUS LII.

DE JUVENTUTE.

1. *Euripides Andromache.*

Quisquis juventa floret, et juveniliter
Contemnit æquum, pestis hic est publica.

2. *Idem Andromeda.*

Suasit juventa, vi potens, mente impotens.

3. *Idem Melanippa.*

Quam dira res est juvenis eximie malus!

4. *Idem Archelao.*

Ætate juvenis qui sit in re paupere,
Si sapiat animo, maximum miraculum est.

5. *Idem Dictye.*

Juvenis, sed animo per laborem exercito.

6. *Agatho.*

Juvenilis animus flexiles motus habet.

7. *Metrodorus.*

Adolescens ambitiosus, præcox est malum.

8. *Idem.*

Juvenile vitium est fastus atque audacia.

9. *Menander.*

Ne tu loquentis respice ætatem precor,
Sed an quæ deceant verba prudentem loquar.

10. *Idem.*

Sapientiæ vis non est in canis sita:
Ingenium multis est senectutis loco.

11. *Cratinus Eunidis.*

Ætate tali, mente et animo compari.

12. *Theognis.*

Ætas prima ferox subducit pondera menti,
Multorumque animos crimina multa docet.

18. *Homerus.*

Quippe levis semper juvenili in pectore mens est.

TITULUS LIII.

VITUPERIUM AUDACIÆ ET ROBORIS.

1. *Menander.*

Domi necesse est vitam vivat liberam
Qui sit beatus, aut ne vivat amplius.

2. *Idem Deposito.*

Nullam fert opulentiam
Militia. Vita ductitatur in diem,
Studiique sterilis sera est experientia.

3. *Idem Sicyonia.*

Præbent, ut video, risus materiam affatim
Stratioticum schema et mores exotici.

4. *Apollodorus Disparescente.*

Qui felix ad senectam perduraverit
Miles, nisi inter timidos, reperiri haud potest.

5. *Menander Aspide.*

Causam salutis quamvis parvam militi
Reperire difficile, exitii facillimum.

6. *Menander.*

Bellum atque nitidum militem ne Juppiter
Quidem ipse fingat.

7. *Apollodorus Puero.*

Ut miles factus subito ex homine es libero!

8. *Philemon.*

Non homo, sed miles, quem sagina ut victimam
Pascit, suo mox immolandam tempore.

9. *Antiphanes.*

Amice quî non mortis sit peculium
Miles, qui vitæ causa se auctorat neci?

TITULUS LIV.

DE IMPERATORIBUS, ET PERTINENTIBUS AD BELLUM MONITA.

1. *Incertus.*

[y] Præclara facta ratio nutrix educat.

2. *Incertus.*

Perfecit has res ratio, non robur manus.

3. *Sophocles.*

Dextra valente plus valet sapientia.

4. *Agatho.*

Valente dextra potior est prudentia.

5. *Euripides Antiopa.*

Sapiente cura civitas feliciter
Domusque regitur: eadem et ad bellum valet.
Sententia una vincit innumeras manus.
Multi imperiti plena res discriminis.

6. *Idem Æolo.*

Vis exigua est quamcunque homini
Natura dedit: plus consiliis
Superare datum.

7. *Idem Bellerophonte.*

Magis timendus qui tener magnum sapit,
Quam roboris qui plenus ingenio vacat.

8. *Idem Palamede.*

Duces reperias mille: at unum atque alterum
Qui corde sapiat longa vix dederit dies.

9. *Idem Rheso.*

Utinam valeres mente, vi quantum manus:
Sed nemo cunctis rebus ex æquo utilis
Reperitur: aliud alteri munus datum:
Alii dabunt consilia: pugnare est tuum.

[y] Refer ad Tit. III. ut et sequentia quædam.

10. *Idem Archelao.*

Modica sed fortis manus,
Multo imperanti melior immenso agmine.

11. *Ibidem.*

Pulchrum ac decorum, nobili inprimis viro,
Bene Marte gesto consequi famam ducis.

12. *Idem Erechtheo.*

Volentibus Dîs arma sapientem decet
Movere, non cæleste si imperium vetet.

13. *Ibidem.*

Sine jure bellans non redit sospes domum.

14. *Idem.*

Odi creatum patriæ et bello ducem,
Qui ferre nescit casibus solatia.
Fortuna, quæ res versat, iratos sibi
Secura ridet. Qui sapit, si quid minus
Recte ceciderit, arte correctum dabit.

15. *Idem Temenisi.*

Ars imperantis prima nosse hostem suum,
Et scire qua sit parte concessus capi.

16. *Idem.*

Sic imperabis ergo. Dux autem bonus
Æquo necesse est jure regat exercitum.

17. *Idem Temenisi.*

Sæpe imperiti robur in damnum patet.

18. *Idem Phœnissis.*

Tuta quam ferociora malle ductorem decet.

19. *Idem Bellerophonte.*

Cruenta gaudet vulnera obvolvi dolis
Victoria, almum numen. Exspes atque iners
Via veritatis. Mars amat mendacia.

20. *Idem Helena.*

Audere supra quam queas dementia est.

21. *Sophocles Alcasi.*

Nemo ut videtur. Sed vide an non rectius
Sit vincere hostem quamlibet fraude impia,
Quam servitutem ferre et imperium pati.

22. *Idem Ione.*

Rebus quietis jura pietatis coli
Laudo: sed hosti quo minus noceas tuo
Obstare debet nulla legum auctoritas.

23. *Menander.*

Qui cum non militarit, militiæ imperat,
Gregem hostiarum ducit, non exercitum.

46. *Incertus.*

Sive dolo, seu vi manifesta, clamve palamve.

TITULUS LV.

DE PACE.

1. *Euripides Cresphonte.*

Pulcherrima Diva Dearum
Pax, circumfusa beato
Sequitur quam copia cornu,
Nimium nimiumque morantem
Te te, Dea, cernere flagro,
Metuens ne plena laborum
Senio mea vita fatiscat,
Tua nectare plena priusquam
Detur semel ora tueri,
Et carmina juncta choreis
Epulasque et florea serta.
Ades huic venerabilis urbi,
Longeque penatibus arce
Diræ mala seditionis:
Fugiat discordia, ferro
Quæ ludere gaudet acuto.

2. *Aristophanes Agricolis.*

Mater opum benigna
Alma pax, et qui trahitis plaustra boves gemelli,
O mihi si liceret
Vivere a bello vacuum, cumque meo redirem
Emeritus labore
Post humum fossam, tenui membra liquore loto,
Solvere fæce vinum,
Et simul vesci raphano, triticeoque pane.

3. *Bacchylides Pæanibus.*

Pax alma res fert maximas mortalibus:
Illa ministrat opes
Blandosque lusus carminum.
Tunc lætus ignis in Deorum altaribus
Lanigeras pecudes
Cæsasque consumit boves:
Gratus palæstræ tunc juventutem labor
Sertaque juncta mero
Et tibiæ exercet sonus:
Tunc inter ipsa fibularum vincula,
In clypeique sinu,
Araneæ texunt opus:
[z] Hastas cientes alta robigo obsidet:
Cordis amica quies
Nullo fugatur classico:
Sed altus hæret et sui juris sopor:
Carminibus resonat
Vicinia et festa dape.

4. *Euripides Erechtheo.*

[a] Araneæ circa meam decurrat orsus hastam,
Tranquilla dum canis mihi pingat caput senecta,
Et candicantem vinciam comam virente serto.

[z] Olim: Heic hasta et illic ensium mucro jacet. [a] Refer ad Tit. LVIII.

Tum Thressa pelta pendeat de lectuli columnis,
Doctisque ego in chartis legam famæ probata verba.

5. *Philemon Pyrrho.*

Sollicita quærit philosophorum natio,
Immane quantis temporum dispendiis,
Quæ sit boni natura: nec reperit tamen.
Virtutem præfert ille, at hi prudentiam.
Hæc quid sint quærunt non minus, quam quid bonum.
Ego terram fodiens, vivens vitam rusticam,
Quam facile inveni, Juppiter, quod sit bonum:
Pax nempe, sospitatrix et clemens Dea.
Prolem, cognatos, sacra, amicos, nuptias,
Annonam, vinum, sanitatem, gaudia,
Divitias pax fert. Ista si defecerint,
Nulla esse hominibus vita vitalis potest.

6. *Euripides.*

De Marte quoties itur in suffragia,
Nemo imminere cogitat mortem sibi:
Sed quisque cladem destinamus alteri.
Quod si in comitiis funera ante oculos forent,
Furiata bello non perîsset Græcia.
Atqui, duarum cum datur rerum optio,
Quæ sint videmus commoda atque incommoda,
Quantoque potior Marte pax mortalibus,
Quæ docta nutrit studia, quæ luctus fugat,
Fœcunditate gaudet, opulentat domum.
Tamen hac relicta, ferreas belli vices
Eligimus. Et qui plus potest sua sub juga
Mittit virum vir, civitatem civitas.

7. *Aristophanes Anatibus.*

O stulte, stulte: paci hæc insunt omnia:
Habitare villam, colere rus villæ adsitum,
Procul abstinere se fori negotiis,
Validos duos habere aratores boves,

Audire pecudum dulce balantum gregem,
Sonumque in pelvim decidentis fæculæ,
Obsonio uti turdis, [b] tringillis quoque,
Non expectantem de fori fastidio
Triduanos pisces, quos propolæ perfidi
Admetiatur falsilibripens manus.

8. *Idem Pace.*

Dea o bona, racemifera, quam te nominem?
Verbum unde inveniam sesquampullatum tibi?

9. *Menander.*

Vel inter saxa agricolam nutriat
Pax alma: bello sordet et felix ager.

TITULUS LVI.

DE AGRICULTURA QUOD BONA SIT.

1. *Aristophanes Pace.*

O gratæ hominibus pacis altrix optima,
O promiconda, dispensatrix, opifera,
Nata, soror. Hæc me nuncupabat omnia.
B. At tibi quod ergo nomen? *A.* Vita rustica.

2. *Ibidem.*

O bonis amica, fautrix ruris, o felix dies:
Te, libet, visa, mearum vitium affari ordines.

3. *Menander Adelphis.*

O sancta tellus, longo te post tempore
Libens saluto. Non honos hic cuilibet
Humo: sed agrum quoties intueor meum,
Id quod me nutrit numinis veneror loco.

4. *Amphis Carminatricibus.*

Jucunda solitudo quam res aurea est!
Namque ager hominibus verus est vitæ pater,

[b] Olim: *panniculis.*

Qui solus novit paupertatem abscondere.
At urbs theatrum plenum est infortunii.

5. *Menander Coma.*

Virtutis et vivendi liberaliter
Magistrum si quis quærit, agrum comparet.

6. *Phocylides.*

Quisquis opes quærit, glebæ sibi comparet uber:
Nam rus est vere illud, habet quod Copia, cornu.

7. *Menander.*

Fortes progenerant asperi victus loca.

8. *Aristophanes Acharnensibus.*

[c] Pacis cupitor, cum suburbanum intuor,
Urbem perosus rus meum desidero,
Quod nunquam dixit, Carbones, opsonia,
Oleum aut acetum compara. Nam nîl opus.
Ipsum ista inemta suppeditabat omnia.

9. *Menander.*

[d] Fingis te agrestem, cum revera sis malus.

10. *Aratus Phænomenis.*

Nec mala lis fuerat, necdum discordia nota,
Nec fera seditio furiarat mobile vulgus,
Sæva nec audaces fuerant freta passa carinas:
Sed bubus tracto sulcantes vomere terras
Malebant tenui contenti vivere cultu,
Sufficiente Dea justis pleno omnia cornu.

11. *Menander Hydria.*

O quam jucundum mores exoso malos
Est solitudo!

12. *Aristophanes Nebulis.*

Me vita apprime delectabat rustica,
Incuriosa, inculta, squallore obsita,
Sed apibus et pecudibus et olivis scatens.

[c] Refer ad Tit. VII. [d] Refer ad Tit. XI.

13. *Euripides Antiopa.*

Hæc, ut sapere credaris, cane,
Dum fodis arasque, pecora dum pascis tua:
Vocum frui alios splendidis nugis sine.

14. *Idem Butemeno.*

Alios ad usus alia tellus aptior.

15. *Philemon.*

Eorum quæ homines possident justissimum
Ager est, suppeditans quorum natura indiget:
Nempe oleum, vinum, caricas, mel, triticum.
At vestes purpureæ atque vasa argentea
Usum in tragœdia habent, in vita non habent.

TITULUS LVII.

DE AGRICULTURA IN CONTRARIUM.

1. *Menander.*

[e] Hæc est voluptas prima vitæ rusticæ,
Spe lætiorum cuncta quod lenit mala.

2. *Diphilus.*

Asellus unus rure ex vicino meo
Adfert domum quotannis, quod votis sat est,
Libamen, oleum, grossulos, mel, hordeum.

3. *Menander.*

Florere belli decore laus vera est viri:
In rure desudare servile est opus.

4. *Anaxilaus Lyrarum fabro.*

A. Vales ne? quam macer es! *B.* perî:
Rus ipse pasco.

5. *Menander Agricolis.*

Meo agro justiorem nemo est qui colat:
Nam flores profert, tanquam cælitibus Deis,

[e] Refer ad Tit. LVI.

Laurumque et hederam: quod si insevero hordeum,
Tantumdem exacte reddit quantum acceperat.

6. *Philemon.*

Ager mihi instar medici est: ita me perpetim
Alit severæ lege parsimoniæ,
Tenuem suppeditans frugem, villi tantulum
Quod odori sat sit, pauxillum oleris, cæterum
Siccas dapes et rupicosas, capparim,
Thymum atque asparagum, hæc sola: proin metuo nimis
Ne me excarnificet misera macie perditum.

7. *Incertus*

Rus ego sollicite curo, non me ut nutriat,
Sed ipsum ut a me nutriatur affatim.
Fodio seroque semper et nîl non ago,
Ut ratio expensi et accepti respondeat:
Sed iste, quem emi, conturbator est ager,
Quem cum medimnis hordei conseverim
Viginti, vix mihi ille tredecim reddidit:
Bellatum ad Thebas alios septem îsse arbitror.
Servare sepulchrum jusso me Niobeidum.
B. Erit adjumentum, spero. *A.* Imo ita nunc hercule est.
Nam quod fert, uno ferri jumento potest.

8. *Philemon Supposititio.*

Agricola semper dives annum in proximum est.

9. *Menander.*

Mixtum est amaro dulce in vita rustica.

[f] TITULUS LVIII.

DE VITA QUIETA.

1. *Euripides Antiopa.*

Vitam otiosam qui potest traducere,
Negotium si quærit, haud recte sapit.

[f] Poterat conjungi cum Tit. XXX.

2. *Idem Iphigenia in Aulide.*

Felix mihi tu, tranquille senex.
Felix quisquis molle, periclis
Et laude vacans, transigit ævum.
Minus at felix sibi mandatus
Quem vinxit honos.

3. *Idem Bacchis.*

Durare novit, quod sapientia
Tranquillat, ævum: sospitat et domos:
Tales remota ex arce cæli
Res hominum superi tuentur.

4. *Idem Heraclidis.*

Felix qui procul negotiis
Consilia sana et fausta suppeditat sibi.

5. *Idem Œnomao.*

Peccare quisque plus solet, quo plus agit.

6. *Æschylus Prometheo vincto.*

Nîl profuturis ne laborem impenderis.

7. *Epicharmus Perfuga.*

Tutum est, mulier, placidumque quies
Semper juxta mediocre sedens.

8. *Menander Hydria.*

O quam jucundum mores exoso malos
Est solitudo: nîlque meditanti improbum
Satis magnæ divitiæ bene pascens ager.
At plausus populi et vitæ delectamina
Urbanæ splendent, sed perenne nîl habent.

9. *Pindarus.*

O ter beatus qui patriæ statum
In constituta sede locaverit,
Tranquillitatis lumen almum
Respiciens, animoque pellens
Discordiarum tetrica nubila,
Quas atra gaudet pauperies sequi,

Infesta crescenti juventæ,
Et pueris inimica nutrix.

10. *Cercides Mimiambis.*

Oblitus illud providæ testudinis:
Suus cuique lar amicus optimus.

11. *Bion Bucolicis.*

Hæc quæ non didici nunc tandem discere serum est.

Ib. *Idem.*

Si quid dulce sonant mea carmina, gloria nobis
Sufficit ex illis, et habenda est gratia fato:
Sin laudata minus cecini, quid plura laborem?
Nam si vivendi nobis geminata dedisset
Tempora seu Fatum, seu Juppiter, esset ut ævi
Altera lætitiæ pars, altera dicta labori,
Responsura quies tandem sudoribus esset.
Sin vitæ spatium miseris mortalibus unum
Concessere Dei, modicoque id fine coercent,
Quid juvat in tristes annos impendere curas?
Quæ spes pectora fessa novas demittit in artes,
Sollicitatque animum possessis plura parare?
Oblitine adeo morti hæc obnoxia nasci
Corpora, quamque brevis vitæ modus?

TITULUS LIX.

DE NAVIGATIONE.

1. *Homerus Odyssea.*

Nil reperire usquam est pelagi crudelius undis,
Quæ facile evertunt hominum quamvis validam vim.

2. *Alexis Commorientibus.*

Qui mare navigio tentat, aut mendicus est,
Aut furit, aut mortem quærit: ex istis tribus
Quin unum ei conveniat fieri non pote.

3. *Sophocles Scyriis.*

Heu misera vere navigantum natio,
Quorum periclis non pares quisquam Deûm,
Non Fors hera opibus gratias rependerint.
Fluxam sequentes nam levis venti fidem
In magna merces damna projiciunt suas,
Donec reperiant lucra, vel mortem oppetant.

4. *Aratus Phænomenis.*

Corpore semifero magno Capricornus in orbe,
Quem cum perpetuo vestivit lumine Titan
Brumali flectens contorquet tempore cursum.
Hoc cave te ponto studeas committere mense.
Nam non longinquum spatium labêre diurnum,
Non hiberna cito volvetur curriculo nox:
Humida non sese vestris aurora querelis
Ocius ostendet clari prænuntia solis:
At validis æquor pulsabit viribus auster.
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni jam labuntur tempore toto,
Nec cui signorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
At nautæ fulicæ similes, mergoque natanti,
Anxia per totum jactantes lumina pontum,
Nequicquam nusquam parentia litora quærunt,
Dum tenuis nigro tabula hos distinguit ab Orco.

5. *Philetas.*

Cum volet ostendet terram Deus: interea nos
Ventorum levium cernere templa juvet.

6. *Antiphanes Ephesia.*

Miseri qui in pelago vitam vivunt. Si tamen
Quis navigantum vivit, centum stadia
Terra proficisci satius, quam juger mari.
Tun' pelago credas te, tot salvis restibus?

7. *Incertus.*

Quam dulce, mater, abstinentem navibus
Fluctus marinos intueri a littore!

8. *Homerus.*

Paullum nam sunt a morte remoti.

9. *Menander Thrasyleonte.*

Secunda quæ vocatur navigatio,
Est fracta nave tabula arrepta evadere.

10. *Callimachus.*

Surgit ibi ventis unda procelliferis.

11. *Idem.*

Felix et paucis annumerandus erit,
Cui sunt nulla maris commercia: sed mea vita,
Non secus ac mergi, clausa tenetur aquis.

12. *Sophocles Tympanistis.*

Possitne majus gaudium a superis dari,
Quam terra si te excipiat, et tecto latens
Curis solutus audias pluviæ sonum?

13. *Idem Erechtheo.*

Quærenda navis magna præ tenui scapha.

14. *Menander.*

Lucri cupido et navigandi audacia
Perfacile reddunt divites aut mortuos.

15. *Antiphanes.*

Terra esse pauper malim, quam dives mari.

16. *Euphorion Philoctete.*

Ast illum vitæ cupidum mare fluctibus hausit,
Lenta super pelagus tollentem brachia frustra,
Heu miserum Dolopionidem: manibusque micantis
Obruit unda animam, salsusque os occupat imber.

17. *Antiphanes.*

Divitiis insolescit mercator suis,
In quas dominii ventus ipso plus habet.

18. *Euripides Philoctete.*

Beatus ille qui domi felix manet,
Solidoque merces locat et a ponto abstinet.

19. *Moschus Bucolicis.*

Cum placido pelagus mulcet levis aura susurro,
Pectus avet tentare vagum mare: nec mihi dulcis
Terra, sed in mites votis feror omnibus undas.
At simul insonuit Nerei domus, et vada montis
In speciem surgunt spumantia, cum furit æquor,
Respicio terras arbustaque: vivite fluctus:
Nam tellus mihi fida: placet nemus, et placet umbra,
Pinus ubi resonans ventorum murmura ridet.
Piscator nimium miser heu, cui cymba penates,
Et pelagus labor, et prædæ spes unica pisces.
Me juvet umbroso platani sub tegmine somnus,
Et salientis aquæ strepitus audire canoros,
Pastori quæ tuta metu sine gaudia præstant.

TITULUS LX.

PRO ARTIBUS.

1. *Amphis Vinitoribus.*

Ad casus tristes, vita quos hominum capit,
Nullum arte est aliud dulcius solatium:
Nam disciplinis sese ingenuis occupans
Sua mala mens sine sensu præternavigat.

2. *Hipparchus Pictore.*

In ætate hominum nihil arte est pretiosius,
Aut ad degendam vitam conducibilius:
Res alias quippe belli et fortunæ vices
Transmutant facile: ars semper incolumis manet.

3. *Hermodotus.*

Non auget artem copiosa oratio:
Opera necesse est gloriam artis prædicent.

4. *Simylus.*

Nec arte destituta virtus ingenî
Ad studia quævis sola sibi suffecerit,
Nec rursus ars si desit ingenium sat est:
Sed his duobus dulce conspirantibus
Alia exiguntur insuper, sumptus, amor,
Usus, benignum tempus atque occasio,
Judexque dicta qui bene accipiat bene.
Nam si quid horum dura sors inviderit,
Non assequentur studia voti terminum.
Ordo, voluntas, indoles, industria
Reddunt bonos doctosque: longa autem dies
Præter senectam ferre nîl homini potest.

5. *Menander Tibicina.*

Dies, avita sæpe quæ fuerant, bona
Aliena fecit, corpori parcens. Tamen
Præsidia vitæ solida in arte sunt sita.

TITULUS LXI.

DE ARTIBUS IN CONTRARIUM.

1. *Menander Piscatore.*

Qui primus reperit artem altricem pauperis,
Multos effecit miseros. Simplicius fuit,
Hunc cui difficilis vita est mature mori.

2. *Antiphanes Fullone.*

Quisquis Deûm artis primus monstrator fuit,
Is maximo mactavit mortales malo.
Nam si quis artis expers in inopiam incidit,
Semet periclis objiciens, uno die
Aut rem decusque assequitur, aut mortem invenit.
At nos quibus ars est data pro vitæ pignore,
Perpetua spe fovemus esuriginem:

Cumque esse miseris liceat parvo tempore,
Vitam per omnem tales esse malumus.

3. *Menander Hymnide.*

Felicitas raro ad senectutem comes
Arti est, ni dominum valde avarum invenerit.

4. *Euripides Polyide.*

Vitam hominis artes prægravant, non sublevant.
Nam sustinere crimen imperitiæ
Censore quovis sortis est duræ nimis.

TITULUS LXII.

DE DOMINIS ET SERVIS.

1. *Euripides Helena.*

Malus ille quisquis res heriles ut suas
Non curat, una lætus atque una dolens.

2. *Ibidem.*

Sim servus ut sum, quando sic nasci datum,
Dum cura servis mihi sit asscribi probis.
Si denegatur liberum nomen mihi,
At libera est mens. Satius hoc multo, mala
Quam duo subire; quod facit, quisquis jugo
Juris alieni vitia conjungit sua.

3. *Idem Meleagro.*

Quam dulce servo facilis ac clemens herus,
Heroque servus qui domo præstat fidem!

4. *Idem Antiopa.*

Tractare servum studia liberalia
Minime decorum est, otiove insuescere.

5. *Menander.*

Res tædiosa est servus plus sapiens hero.

6. *Idem.*

Quoties benignus dominus servo contigit,
Hoc esse summum munus fortunæ puta.

7. *Incertus.*

Quanto benignum satius est dominum pati,
Quam vivere inopem liberi sub nomine!

8. *Philiscus Thebanis.*

Mei quidem unus dominus, at vestrum omnium,
Quos liberos vocamus, imperium obtinet
Lex, vel tyrannus; et tyrannorum, metus.
Reges superstant subditis, Dî regibus,
Necessitas Dîs. Juris alieni vides
Quodcunque rerum est; parva sub magnis jacent,
Aliisque debent alia servitii fidem.

9. *Antiphanes.*

Sic mihi videtur: servo qui patria excidit
Benignus dominus patriæ præstat vicem.

10. *Menander.*

Quid frustra frugi et bonus es? namque herus omnia
Cum sua dilapidet, et tu diripias nihil,
Defraudas temet ipse, et illum non juvas.

11. *Euripides Archelao.*

Non alere servum, sed nec ingenuum, domi,
[g] Homini modesto præstat, et tutissimum est.

12. *Idem Antiopa.*

Cernis servitus quid sit mali?

13. *Idem Archelao.*

Vitam dedi ut famula esset. Æquum scilicet
Ut sequiora serviant potioribus.

14. *Idem Alexandro.*

Sapis quidem tu Priame: tamen audi precor.
Plus quam necesse est sapere qui servus sapit,
Onus est molestum, nec domi possessio est
Quæ plus mali producat et frugis minus.

[g] Ita in ms. *Altore qui sit potior, vel tutissimum est.*

15. *Ibidem.*

Merito reprendi. Pessimum, servi, genus
Nîl in futurum consulunt, ventres meri.

16. *Ibidem.*

Quicunque dominis exhibent servi fidem,
Crudele parium concitant odium sibi.

17. *Menander Præaccusante.*

Ita uti jubetur exsequi tutissimum
Servo esse, veteres prædicant.

18. *Euripides Alexandro.*

Pravi quibus non servitus expenditur
Ratione, sed fortuna res dijudicat.

19. *Ibidem.*

Servos enim
Non utile est habere qui præstent heris.

20. *Idem Alcmæone.*

In servum herilis magna pars recidit mali.

21. *Idem Busiride.*

Servo profari quamlibet verum nefas,
Usus heriles ferre si verum negant.

22. *Idem Alcmæone.*

Quicunque servo præbet aures credulus,
Supplicia magna debet imprudentiæ.

23. *Idem Eurystheo.*

Fidum qui ministerium exhibet,
Res ille heriles celet et præstet fidem.

24. *Idem Alcmena.*

Domino placendum est: hoc enim servo expedit,
Quicquid laboris imperatur, hoc suæ
Efficere fidei specimen atque industriæ.

25. *Idem Hecuba.*

O fortuna servorum mala,
Necessitas quos subigit audere improba.

26. *Idem Ione.*

Servos quod unum facere contemtos potest
Vox est: in aliis libero distat nihil,
Quicunque mentem servus ingenuam gerit.

27. *Menander Puello.*

Servire qui sic discit, ut excipiat nihil,
Is nequam est servus. Jus profandi libere,
Quod sensit animus, dederis, reddes optimum.

28. *Philemon.*

Here, quisquis est homo natus, quamvis serviat
Is servitutem, tamen esse homo non desinit.

29. *Idem Migrante.*

Servo mala est fortuna delinquens herus:
Partem subire nam malorum cogitur.

30. *Sophocles Acrisio.*

Fugitivus arctis vinculis coercitus,
Quin quæ placent loquatur, ambigere est nefas.

31. *Menander Thessalis.*

Tranquillus animus vitam servilem fovet.

32. *Eubulus.*

Qui se fugitivi gesserunt pro liberis,
Multi recurrunt pristina ad præsepia.

33. *Sophocles.*

Si corpus istud servit, at mens libera est.

34. *Menander.*

Et civitas et lex et perfugium mihi
Et justi pariter atque injusti regula
Herus est, arbitrio cujus me æquum est vivere.

36. *Theognis.*

Non est mancipium recta cervice tueri:
Sors flexum servos jussit habere caput.

27. *Euripides Medea.*

Quodcunque herili cecidit adversum domo,
Id triste servi corda percellit probi.

38. *Idem Melanippa.*

Obstare servo nomen haud æquum est probo:
Est quando virtus famula superat liberos.

39. *Idem Phryxo.*

Infame servis nomen est: mens interim
Cum liberis sit sæpe liberalior.

40. *Alexis.*

Ferme omnes servitutem quotquot serviunt,
Eos dominorum moribus videas pares.
Nam quibus obsequium semper præbent moribus,
His ipsa tandem se natura attemperat.

41. *Euripides Antiopa.*

Eheu ut omne ubique servorum genus
In sequiora cuncta transscripsit Deus!

TITULUS LXIII.

DE VENERE VULGIVAGA, QUÆ GENERATIONI HUMANÆ CAUSAM PRÆBET, ET DE AMORE VOLUPTATUM CORPORIS.

1. *Euripides Æolo.*

Exercet homines sorte diversa Venus:
Est quando luctum portat, est quando juvat:
Accedat ad me cum favens est maxime.

2. *Idem Antiopa.*

[h] Rerum satietas omnium est. Turpes toros
Vidi sequentem, pulchra cui conjunx domi:
Et plenus epulis aliquis e vili cibo,
Novitate commendante, cepit gaudia.

3. *Idem Hippolyto.*

Qui dona Veneris spernit, animi contumax,
Nimium sequente non magis culpa vacat.

[h] Refer ad Tit. VI.

4. *Idem Antigona.*

Juvenem calentem Veneris indomita face
Arcere vigiles non valent custodiæ.
Amor ipse, quamvis rudibus, ingenium facit.
Dulce et salubre quæ modum novit Venus.

5. *Idem Hippolyto.*

Ferenda non est, tota cum sese excutit,
Venus, benigna sponte cedenti Dea:
At si quis alto spiritu obniti parat,
Hunc illa domitum tractat inclementius.

6. *Sophocles.*

Pueri, Venus quæ dicta, non tantum est Venus,
Sed omnium una nominum vim possidet:
Eademque Dis est, visque non superabilis,
Eadem furor limphatus, eadem mel merum
Amoris, eadem luctus. Insunt omnia,
Studium, quies tranquilla, violenti impetus.
Quorum medullas occupavit, liquitur
His anima. Tanti numinis quid liberum?
Illa et natantes cærulo pisces salo
Et humi vagantum sæcla quadrupedum subit:
Illa inter ipsos alites alas quatit:
Homines ferasque subjugat, Superos quoque.
Nam quem Deorum adorta non [i] ter dejicit?
Et si loqui fas (vera sed fas est loqui)
Jovis cor ipsum superat: atque hasta sine,
Sine ense cuncta dissipat victrix Venus
Mortalium consilia et immortalium.

7. *Bion Bucolicis.*

Aut Musæ metuere Cupidinis aspera tela:
Aut adamant magis, et vestigia semper adorant.

[i] Olim: *tandem obruit.* Ἐπὶ τρισὶ πτώμασιν ὁρίζονται τὴν ἧτταν. Salmas. Ex. Plin. 291.

Si quis eas comitetur habens inamabile pectus,
Protinus hunc fugiunt dedignanturque docere.
At cantat qui dulce gravi perculsus amore,
Hunc circumfusæ pariter coluere sorores.
Atque adeo, quam vera loquar, me discere teste est.
Namque alium celebro quoties hominemve Deumve,
Lingua cadit subito, nec jam canit ut solet ante.
At quoties canto Lycidan et numen Amoris,
Occurrunt ultro mihi carmina, blanda fluit vox.

8. *Zopyrus.*

Ego vitam Amoris degere expertem meis
Non precor amicis, sed deo placido frui.

9. *Aristarchus.*

Qui nulla Amoris passus est incendia,
Necessitatis nescit invictæ jugum,
Quæ me subegit hoc iter capessere.
Namque ille robur addit infirmis Deus,
Idemque monstrat inviis rebus viam.

10. *Anaxandrides.*

Umbratico doctore multo est aptior
Amor magister vitæ ad humanæ viam.

11. *Euripides Auge.*

Qui non Amoris numen admirabile
Supraque cunctos cælites positum putat,
Aut stupidus ille aut orbus experientia,
Ignorat homini maximus quis sit Deus.

12. *Antiphanes.*

Quicunque amantes orbos mentis prædicat,
Is ipse quantus quantust ingenio caret:
Nam vita ab hominum si voluptatem auferas,
Mors ipsa vita fiet: præterea nihil.

13. *Alexis.*

Non est magister ullus adolescentiæ
Tam fidus atque diligens, atque est amor.

Idem.

[k] Equidem Cupido primus est cælestium,
Cunctis superior atque majoris pretî.
Nam nemo repperitur usque adeo tenax,
Adeove duris aut severis moribus,
Qui non suorum tribuat huic partem Deo.

14. *Menander Thesauro.*

Quibus est juventus ac divitiæ dapsiles,
Amori hos jubeas indulgere comiter.
Nam qui in senectam rem ampliando differunt,
Solvunt usuras otiosi temporis.

15. *Menander Comprandentibus.*

Amorem inter Deos
Validissimum esse hoc argumento evincitur,
Quod pejerantur propter hunc omnes Dei.

16. *Mimnermus.*

Vita quid est, quid dulce, nisi juvet aurea Cypris?
Tum peream, Veneris cum mihi cura perit.
Flos celer ætatis sexu donatus utrique,
Lectus, amatorum munera, tectus amor,
Omnia diffugiunt mox cum venit atra senectus,
Quæ facit et pulchros turpibus esse pares.
Torpida sollicitæ lacerant præcordia curæ:
Lumina nec Solis, nec juvat alma dies,
Invisum pueris, inhonoratumque puellis.
Tam dedit, heu, senio tristia fata Deus.

17. *Menander Nauclero.*

Natura sua
Tractabile esse amantis ingenium solet.

18. *Idem Thesauro.*

Amoris incitamen cantillatio est.

[k] Grotii ms. Deum potentum maximus longe est Amor,
Dignusque ante alios quem tu . . . . colas:
Nam nemo est adeo parta parsimonia
Aut morum tanta . . . . . .
Qui non . . . numen atque participet sui.

19. *Theocritus.*

Oscula vana quidem, sed in his quoque magna voluptas.

20. *Menander.*

Amantium ira ferre ætatem non potest.

21. *Idem Heroe.*

Amore, domina, nihil est efficacius,
Nec imperator ipse superûm Juppiter:
Quin cuncta, ab illo domitus et victus, facit.

22. *Euripides Andromeda.*

Amore quisquis captus est mortalium,
Si forte amores commodos invenerit,
Desiderabit gaudii nullum genus.

23. *Idem Hippolyto.*

Mihi nîl timentis auctor est audaciæ
Qui solus arctis invenit rebus viam,
Amor potestas omnium invictissima.

24. *Sophocles Trachiniis.*

Quicunque Amori, pugilis in morem, manum
Tollens resistit, errat et pravum sapit:
Namque Amor in ipsos jus habet summum Deos.

25. *Idem Phædra.*

Non in virorum sola Amor se pectora
Et feminarum insinuat. Ipsas quin Deûm
Sollicitat animas et ferum ponti gregem.
Nec ipse contra tendere omnipotens Deûm
Rex audet. Ultro flexus imperium subit.

26. *Moschus Bucolicis.*

In somnis adstare mihi Venus aurea visa est:
Infantem pulchris manibus ducebat Amorem,
Spectabat terram qui cernuus: atque ita fata est:
Te puer hic, pastor, discat cantare magistro.
Dixerat atque abiit: tum, quæ meditatus avena
Carmina, ceu docili, recitabam stultus Amori:
Gaudeat ut Phœbo cithara inventore, Minervâ

Tibia, Mercurio testudo, et fistula Pane.
Hæc ego dictabam. Sed nîl mea carmina curans
Ipse puer contra me, quid sit amare, docebat,
Cælestumque hominumque faces, matrisque triumphos.
Sic oblita mihi docui quæ carmina Amorem:
Quicquid Amor docuit memori mihi pectore sedit.

27. *Idem.*

Hespere, quo nullus Veneri dilectior ignis,
Hespere, cæruleæ sanctissima noctis imago,
Qui Lunæ cedis quantum tibi sidera cedunt,
Alme fave, mihi formosus dum pastor aditur:
Sitque mihi tua fax Lunæ vice: quæ modo primum
Fulgere incipiens subito occidit. Haud ego fur sum.
Non est quod metuat cæca me nocte viator:
Verum amo: dulcis amor res non indigna favore est.

28. *Incertus.*

Felix quisquis amat, sed ametur ut ipse vicissim:
Felix Pirithoo Theseus comitatus amico,
Tunc quoque cum Ditis descendit ad horrida regna.
Felix Taurorum quoque finibus exsul Orestes
Communes Pylade errores sectante viarum.
Felix Æacides olim vivente sodali,
Felix ille etiam moriens, cui contigit ultor.

29. *Moschus Bucolicis.*

Echo vicinam Pan corniger; ipsa sed Echo
Saltantem Satyrum; Lydam Satyriscus amabat.
Quantum Pana Echo, Satyrus tantum usserat illam,
Et Lyde Satyrum. Vice flagrabatis amores.
Quantum quisque suum nam fastidibat amantem,
Tantumdem ipse suo fastidibatur amato.
Hoc sibi crudelis documentum sumat: amantem
Quisquis amatur amet, ut amans quoque rursus ametur.

Orpheus Hymnis.

Præcluis, alma Venus, cælestis, læta lepore,

Undigena, o genitrix, sacra quam nocturna celebrant,
Conjuga, pervigilans, violans atque insidiatrix.
Nîl sine te, Dea: tu totum tua sub juga mittis.
Tu mundi præfecta trientibus, omnia gignis
Per spatia alta poli, per frugiferæ sola terræ,
Per mare velivolum, Bacchi veneranda sodalis,
Quæ dapibus gaudes, Dea pronuba, mater Amorum,
Lectisterna, latebrituens, Suadela, benigna,
Proma et conda eadem: Dea patrima, conciliatrix.
Tu lupa, tu Divum Regina et sponsepulatrix,
Ortus sancta parens, vitalis, blanda, virosa:
Quæ frænas homines, portans effræne Necesse,
Vique Cupidinea succendis secla ferarum.
Cypri, fave magno Jove prosata: seu per Olympum
Sublimem incedis vultu regina sereno,
Seu Syriæ tibi templa placent fumantia ture,
Seu mage per campos auratis vecta quadrigis
Ægypti veheris propter fœcunda fluenta.

Proclus Hymno Veneris.

Reginam Lyciæ gentis Venerem celebramus,
Cujus ope auxilium nacti certamque salutem
Primores patriæ, sacrorum conscia corda,
Urbe sua sanctum delubrum rite dicarunt,
Fœdera casta notans, animo quæ cernere solo est,
Cælicolæ Veneris Volcanique ignipotentis:
Unde tibi, Dea, nomen Olympia: namque tua vi
Vastam pernitiem sæpe evasere, tenentes
Virtutem ante oculos. Fœcundo quippe cubili
Exoriebatur robusta ac provida proles,
Vitaque ridebat passim vernante sereno.
Nunc quoque, diva favens, nostræ cape dona Camœnæ.
Namque et nos Lycio de sanguine duximus ortum.
Arce animam probris et honesti subjice flammas,
Terrigenæ pellens furiatum virus Amoris.

Idem Hymno alio.

Æternam Veneris seriem cantare paramus,
Et regale sacri fontis caput: unde profecti,
Immortale genus, pennatum numen Amores:
Quorum alii telis mentem ferientibus urunt
Pectora, ut illecebris sublime trahentibus icta
Matris conspiciant rutilum fulgentia templa.
Ast alii patris imperio sapientipotentis,
Perpetuam cupidi sobolem submittere mundo,
Immittunt animis vitæ terrestris amorem.
Rursum alii cœtus et fœdera conjugiorum
Cum magna curant cura, mortalis ab ortu
Seminis ut semper genus immortale propagent.
Omnibus hic labor est, Veneri servire parenti.
O Dea, nam nihil est tua quod non audiat auris,
Immensum cœli seu circum volveris axem,
Diceris unde animam Mundo inspirare perennem,
Seu septemgeminos orbes super, æthere summo,
Suppeditas nostris connexibus indomitam vim,
Audi, te veneror: mœstumque laboribus ævum
Justificis semper telis mihi sancta guberna,
Antecavens facibus pateant ne corda profanis.

Incertus. [Anthol. Pal. IX. 39.]

Blanda Venus Musis: Venerem celebrate puellæ,
Ne meus hic in vos arma capessat Amor.
At Veneri Musæ: Marti jactare memento
Talia; nam nobis non volat iste puer.

Orpheus Hymnis.

Sanctum, almum, facilem, magnum veneramur Amorem,
Pennatum, igniferum, velocipedem, arcitenentem,
Qui colludere amat mortalibus et superis Dîs,
Vorsimanum, geminum, claves rerum omnium habentem,
Ætheris immensi, telluris et æquoris et quæ
Terra parens hominum generi spirantia nutrit,

Et quæ latipatens orcus tenet, et mare raucum:
Namque horum tu solus habes, Deus alme, gubernal.
Nunc igitur pura cum mente clientibus adsis,
Cispellens furias pravæque libidinis æstum.

Theocritus.

Nuper in alveolis apis improba læsit Amorem,
Dum furto raptare favos parat. Ille tumescens
Jam digitis, tractatque manum sentitque dolorem
Et pede subsiliens terram ferit. Inde parenti
Triste malum monstrans cum fletibus, En apis, inquit,
Corpore quam parvo quam grandia vulnera figit!
Subridens cui mater: Apis non esse putabas
Te similem, parvus qui grandia vulnera figis?

Argentarius. [Anthol. Pal. IX. 221.]

Miror in hac gemma spectans immane leonis
Robur ut aurigæ more gubernet Amor.
Illa manus frænum docta regit arte: flagellat
Ista jubam. Puero blandus in ore decor.
Hunc ego crudelem metuo. Non parcet opinor
Hic homini, talis cui fera ludus erat.

Incertus. [Anthol. Pal. II. 108.]

Juppiter, Eripiam tibi spicula, dixit Amori:
Ille, Tona: fies cum volo rursus olor.

Leonides. [Anthol. Pal. II. 179.]

Teligerum turis quis imagine finxit Amorem,
Illum qui quondam nec Jove se abstinuit?
O bene Vulcano quod jam datur ille videri,
Qui tantum in lenti debuit igne rogi.

Antipater. [Anthol. Pal. IX. 420.]

Vincere te lachrymis, Telembrote, credis Amorem?
Tantillo tantas scilicet imbre faces?
Semper flagrat amor. Extingui nesciit ille
Tunc etiam, magno cum satus in pelago est.

Zenodotus. [Anthol. Planud. I. 14.]

Ad fontes puerum posuit quis sculptor Amorem,
Extingui sperans flumine posse faces?

Incertus. [Anthol. Pal. IX. 15.]

Heus vigilem qui nocte paras accendere flammam,
Et facibus velles lumen habere tuis,
Sume meo lumen de pectore. Nam mea flagrat
Intus scintillis flammivomis anima.

Theocritus.

Abit ille, pedes quocunque ferebant,
Ah demens: ita cuncta gravis Deus usserat ossa.

Idem.

Omnia fausta forent, possem si pellere Amorem.
Nunc sumus, o mihi fide Thyoniche, ceu pice mures
Gustata: tanto nec quæ medicina furori
Novimus. At natam Simus periens Epichalci,
Æqualis meus, emenso redit æquore sanus.
Æquor et ipse petam: miles non optimus, at nec
Pessimus: in medio satis est consistere censu.

Idem.

Ardebant paribus se lancibus. Aurea quondam
Sæcula, cum semper redamaret amatus amantem.

Idem.

Vidit ut Europam Divûm pater, ilicet olli
Non bene provisis feriuntur corda sagittis,
Vi Veneris, novit quæ vincere sola Tonantem.

Idem.

Tibi ne durus sit Amor Deus,
Humanum qui tam facile ingenium domat,
Et me mollivit fueram qui ferreus.

Idem.

At non effugies, quem nulla effugit, Amorem.

Idem.

Triste satis frigus, fluviis labentibus æstas,

Alitibus laquei, retia tensa feris,
Virginibus caluisse, viris. O Juppiter, o rex,
Non ego sum solus: te quoque vicit Amor.

Idem.

Venisti tandem post tres noctesque diesque,
O puer: at miseros lux una absumit amantes.

Idem.

Aspirent utinam faciles ambobus amores,
Nomina venturi celebrent ut nostra nepotes.

Moschus.

Amissum nuper clamans Venus anxia natum:
Ecquis, ait, triviis palantem vidit Amorem?
Ille erro meus est. Pretium grande auferet index,
Basiolum Veneris: sed enim non basia tantum
Ille feret, puerum quicunque adduxerit, hospes.
Viginti in pueris facilis puer ille notatu.
Igneus in vultu color est, non candidus: igne
Lumina bina micant: mens improba, blanda loquela:
Non quod sentit, idem fatur quoque: mellea vox est,
At cor implacidum quoties furit: insidiator,
Nunquam vera loquens, pravus puer, aspera ludit.
Crispula cæsaries: nulla est reverentia fronti.
Utraque parva manus, sed longe docta ferire
Ipsas usque fores Orci atque Acherusia regna.
Corpore nudus agit: mens quærit tecta latebras.
Alitis huc illuc instar volat, inque puellas,
Inque viros fertur, sedet intra viscera tandem.
Arcus parvus adest: et in arcu missile telum,
Hoc quoque non magnum; summum sed in æthera fertur.
Auratam dorso pharetram gerit: intus acerba
Spicula conduntur, queis me quoque vulnerat ipsam.
Hæc crudelia cuncta: sed est crudelior illis
Fax, quæ parva licet, novit tamen urere Solem.
Hunc tu si invenias, strictum rape: parcere noli.

Si flentem videas ne decipiare caveto.
Subridet? tanto trahe fortius. Oscula libat?
Oscula sint suspecta: madent et labra veneno.
Hæc cape quæ gesto, tibi do, si dixerit, arma,
Ne cape: tincta feris etenim sunt omnia flammis.

Incertus. [Anthol. Pal. IX. 157.]

Cur Deus esset Amor? nec enim mala facta Deorum
Novimus: humano sanguine gaudet amor.
Non armata quidem gladio manus: et tamen ecce,
Quæ dedit immani funera sævitia.
Stratus enim cum matre puer jacet, et super ipsos
Vir sævis lapidum jactibus interiit.
Non opus hoc Martis, Ditisve: Cupidinis omne est.
Cernite quo lusu gaudeat ille puer.

Lucianus. [Anthol. Pal. X. 29.]

Non Veneris puer est lædit qui corda, sed illum
Præscribit vitiis mens male sana suis.

Paulus Silentiarius. [Anthol. Pal. IX. 443.]

Ne Veneri pandas animi penetrale caveto:
Nam ferus a duro corde resultat amor.
Lubricus ille furor. Minima vel parte recepta
Ignescens venas tota sagitta subit.
Nec spes corruptum te mulceat: influit illa
Pascenti venas igne trahens animum.

Incertus. [Anthol. Pal. IX. 497.]

Amorem esuries tollit: sin minus, dies:
Quod si nec hæc, nec ista flammam extinxerit,
Nullum remedium superest nisi suspendium.

Theocritus.

Nulla Cupidineo melior medicina furori,
Nicia, non quicquid spargi pote, quicquid inungi,
Quam dulces Musæ.

Ibidem.

Languebat tabidus ille,

Te, Galatea, canens algoso in littore secum,
Solis ab exortu, Veneris sub pectore vulnus
Sævum immane gerens, trajectus viscera telo.

34. *Menander.*

Nugæ. Vultus quomodo
Quemquam subigeret? omnes unam, id si foret,
Amarent, quando aspectus judicium est idem.
At forte amantem illecebræ consuetudinis
Trahere putantur: atqui eâdem utentium
Alter nîl triste patitur, quin ridens abit:
Alter disperiit. Morbus animi occasio est:
Hæc siquem, ut oportet, feriit, is vulnus trahit.

TITULUS LXIV.

VITUPERATIO VENERIS, ET MALUM ESSE AMOREM, QUAMQUE MULTORUM MALORUM CAUSA SIT.

1. *Dicæogenes.*

Quoties amoris retibus capti sumus,
Benigniores tunc in alienos sumus,
Quam quos necessitudo junxit sanguinis.

2. *Menander Veneralibus.*

Amantem si quis mente credit præditum,
Ubi ille rerum inveniet, quæso, amentiam?

3. *Idem.*

Unum inter homines consilii est expers, amor.

4. *Euripides Antigona.*

Amabam. Hominibus maximus furor est amor.

5. *Idem Danae.*

Res otiosa et operis est fugiens amor,
Cui specula curæ tinctaque in flavum coma.
Odit labores. Hoc tibi signum cape,
Quod nemo amavit quæritans victum stipe.
Regnum ille mollis inter opulentos tenet.

6. *Idem.*

At o Deorum pessime atque hominum puer,
Rerum bonarum non dares speciem malis,
Aut facilis esses ac favens amantibus.

7. *Idem Andromeda.*

A. Heu durum amorem patimur. *B.* E dictis tibi
Quod optimum sumatur. Infidum est amor,
Animique partem pessimam habitandam eligit.

8. *Idem Dictye.*

Nihil remittit, multa si moneas, Venus:
Quod si pares vim, tendit hoc contra magis:
Deinde bellum parit: in excidia urbium
Et vastitates hæc solent prorumpere.

9. *Theocritus.*

Echo respiciens Daphnis, Venus improba, dixit,
O culpanda Venus, Venus o mortalibus hostis.

10. *Euripides Meleagro.*

Amica tenebris est Venus. Namque ipsa lux
Necessitatem castimoniæ facit.

11. *Archilochus.*

Quippe meo vis tanta Cupidinis involuta cordi
Offudit atras visui tenebras,
Mentem ipsam rapiens e pectore.

12. *Incertus.*

Amoris in morbum incidi,
Exanimis sæva perculsus corda Deûm vi,
Unde ossa consumit dolor.

13. *Sophocles Amatoribus Achillis.*

Amor dici unius ægrimonia est,
Quem posse simili exprimere sic videor mihi.
Quoties sereno nascitur cælo gelu,
Gaudet manu tractare concretas aquas
Grex pusionum, atque ea voluptas maxima est:
Tandem liquescens unda dimitti negat,

Quanquam teneri commode manibus nequit.
Sic æstus idem saucios amoribus
Cogit vicissim pergere, et desistere.

14. *Phanocles.*

Qualiter Œagri soboles Rhodopeius Orpheus
  Dilexit Calain patre satum Borea.
Ah quam sæpe suos silvis cantabat amores,
  Tranquillo nunquam conspiciens animo
Formosum Calain. Sic percita vastabantur
  Pectora perpetuis sollicitudinibus.
Hinc circumfusæ gladiis crudelibus illum
  Occidêre nurus, gens mala, Bistoniæ:
Nempe quod Edonis pueriles primus amores
  Monstrasset, fugiens fœmineum omne secus.
Ergo metunt doctum ferro caput, et caput ipsum
  In mare projiciunt dulcisonamque fidem,
Clavo fixa simul ferrentur ut illud, et illa,
  Qua raperet cano gurgite vis pelagi:
Quæ dum fluctus agit sacrata ad littora Lesbi,
  Ceu foret arguto pollice mota chelys,
Omne mare atque omnis sonat insula. Tum caput Orphei
  In Mitylenæa consepelitur humo:
Una etiam tumulata fides, quæ saxa movere
  Noverat, et Phorci triste sonantis aquam.
Ex illo citharæ celebrant et carmina Lesbum:
  Insula nec pelago doctior ulla natat.
Fœminea at postquam Thraces crudelia facta
  Audierant, miris indoluere modis:
Corporaque uxorum ferro compuncta notarunt,
  Ne possent sceleris non meminisse sui.
Mos manet, et Thressæ post tot quoque sæcla notatæ
  Orphea pendunt pro nece supplicium.

15. *Menander Andria.*

Amor offundit omnibus

Nebulas, etiam qui rectam sectantur viam,
Multumque sapiunt.

16. *Clinias.*

Nemo colat posthac funestum numen Amoris:
Nemo colat pueros dulcesque Cupidinis ignes:
Ista Moron propter tristem descendit ad Orcum.

17. *Menander Patruelibus.*

Ingenio suo
Amor ad consilia surdus. Tum vero haud facul
Ratione superare et juventutem et Deum.

18. *Idem Thesauro.*

Si amori confidentiam abstuleris, perît,
Atque adeo tabulis Ceritum inscribi potest.

19. *Moschus Bucolicis.*

[1] Mœnibus Eleis elapsus olivifer amnis
Trans fluctus, Arethusa, tuos sectatur amores,
Floresque frondesque ferens cum pulvere dona:
Labitur et mersus procul incumbentia subter
Æquora, nec salsas admiscet dulcibus undas,
Ut vix Ionium tranantem sentiat amnem.
Ille ferus puer, audendi non ausa magister,
Ille fuit, nari solitum qui nare subegit.

20. *Idem.*

Igneus in vultu color est non candidus: igne
Lumina bina micant: mens improba: blanda loquela:
Non quod sentit idem fatur quoque: mellea vox est,
At cor implacidum quoties furit: insidiator,
Nunquam vera loquens, pravus puer, aspera ludit.
Crispula cæsaries, nulla est reverentia fronti.
Utraque parva manus: sed longe docta ferire,
Ipsas usque fores Orci atque Acherusia regna.
Corpore nudus agit: mens quærit tecta latebras.

[1] Refer ad Tit. LXIV.

Alitis huc illuc instar volat, inque puellas,
Inque viros fertur: sedet intra viscera tandem.

21. *Bion Bucolicis.*

Dum nemoris densa volucres sectatur in umbra,
Illic forte puer fugitivum vidit Amorem
Pallentis buxi ramos super: ut videt illum,
Ut gaudet, magnam sperans captare volucrem,
Et subsultantem nunc huc nunc protinus illuc
Insequitur jaculis, prope deficiente pharetra.
Iratus tandem, toties fallentia tela
Projicit, atque seni cum fletu narrat aranti
Deceptas, ductu quas ipsius hauserat, artes,
Et simul arboribus latitantem ostendit Amorem.
Ille movet ridens canum caput, atque ita fatur:
Parce hoc aucupio: parce hanc tentare volucrem:
Perniciosa fera est. Longe fuge: sat mihi felix
Si nunquam capias: at si te fecerit ætas
Aucta virum, qui nunc fugit et salit, ipse secutus
Ultro aderit, capitisque tui se in parte locabit.

22. *Idem.*

Blanda Venus, Venus alma, Jovis pelagique propago,
Cur adeo dura es mortalibus et superis Dîs?
Non satis hîc dixi. Cur hostis es omnibus, et cur
Tantum ac tale malum genuisti mater Amorem,
Immite ingenium velat qui dispare forma?
Cur autem volucrem jaculatoremque dedisti,
Scilicet ut quamvis crudelem evadere non sit?

23. *Theocritus.*

Nunc scio quid sit Amor. Gravis est Deus: ille leænæ
Uberibus nemorum subter querceta pependit,
Qui mihi nunc imis flagrans procul ossibus hæret.

23. *Incertus.*

Proh dolor, amores quanta sunt homini mala?

24. *Euripides Rhadamantho.*

[m] Vitam hanc amores alius aliorsum trahunt.
Est qui vocari nobilis magnum putat:
Hoc spernit alius, et pater dici domus
Florentis emtum quamlibet magno velit.
Sunt queîs libido est, prava cum dicant, tamen
Trahere audientes pestilente audacia.
Multos honesto cernimus prævertere
Lucrum. Omnis adeo vita plena erroribus.

TITULUS LXV.

PRO PULCHRITUDINE.

1. *Euripides Æolo.*

Videam meorum liberûm natos mares,
Quorum ora celsum præferant regni decus.
Virtutis etenim magna commendatio est
Spondens honesta corporis pulchri fides.

2. *Menander.*

Si pulchri mores pulchritudinem insitam
Condecorent, amor hoc ipso geminari solet.

3. *Homerus Iliade.*

Nireus ex Simo ternis dux navibus ibat,
Nireus Aglaia natus Charopoque parente,
Nireus, cui forma par nemo ad Pergama venit.

4. *Bion Bucolicis.*

[n] Forma bonum muliebre: vigor roburque, virile.

5. *Philemon Ignifero.*

[o] Edepol nec pictor quisquam est, nec statuarius,
Qui talem posset arte pulchritudinem
Exprimere qualem rerum veritas habet.

[m] Refer ad Tit. II. [n] Refer ad Tit. LXVI. [o] Refer ad Tit. LXI.

Tum vero periit usus simulachrûm omnium,
Nisi ars peritos judices invenerit.

6. *Homerus.*

At sapiens thalamo se Penelopea ferebat,
Quo Diana gradu, quali Venus aurea vultu.

7. *Menophilus Cincinnis.*

Multa per Europam Libyæque Asiæque per urbes
Vidi corpora pulchra, vagis erroribus actus:
Nunquam tale tamen sese decus obtulit: ipsos
Quin Superos vix ora puto tam pulchra tueri,
Quam mihi quæ subito mentem vastavit imago,
Vi quæ vim fandi superat. Quam triste silebat
Huc illuc volitans animus? tum summus ab imo
Membra liquescebam. Jam pectore cesserat omni
Græcia: jam reditum properantia vota jacebant,
Atque exantlati terra pelagoque labores.
Sic stupui totus. Sed enim suggesta capilli,
Florentesque comæ nodos cantare memento.
Qualem ego te egressam vidi felice lavacro
Fulgentem late! sic trina ascendit Olympi
Culmen Acidalio desurgens Gratia fonte.

TITULUS LXVI.

CONTRA PULCHRITUDINEM.

1. *Euripides Œdipode.*

Spectanda mens est. Nîl decus formæ juvat
Si pulcher absit animus et recta indoles.

2. *Idem Chrysippo.*

Qui mente pollet, valeat et promta manu.
Turpem esse præstat ore quam pulchrum et malum.

TITULUS LXVII.

REM PULCHERRIMAM ESSE NUPTIAS.

1. *Euripides Œdipode.*

Viro sua uxor et domus regni sat est.
Nam par calamitas, judico si quid bene,
Amissa proles, patria, et patrimonium,
Et casta conjunx. Nam viro pretiosior
Opibus opimis uxor est industria.

2. *Idem.*

Quæ sapit mulier marito se dabit famulam suo.

3. *Apollonides.*

Non solia regni, credite hoc o fœminæ,
Non copia auri, non opum ostentatio,
Tantas hominibus totque delicias ferunt,
Quantas pudicæ uxoris et fortis viri
Justo atque honesto congruens sententia.

4. *Theognis.*

Conjuge, Cyrne, bona nîl dulcius. Hoc ego verum
Conscius ac testis sum tibi, tuque mihi.

5. *Sophocles.*

Nam qui penates sine ope matronæ probæ
Effloruerunt copia atque honoribus?

6. *Apollonides.*

Celebrare sexus omne fœminei decus,
Labor disertam quærit hic sapientiam.

7. *Euripides Oreste.*

O quæ viriles spiritus animo geris,
Et corpus inter fœminas pulcherrimum.

8. *Idem.*

Nam fida conjux ne vir evertat larem
Sociata prohibet, sospitatrix familiæ.

9. *Menander.*

Blanditiæ morum amoris incantatio est.
Hæc ars mulieri retinet addictum virum.

10. *Euripides Andromeda.*

Pars maxima divitiarum
Generosa uxore potiri.

11. *Menander.*

Nîl tam familiare atque conjunctum est, Laches,
Si recte expendas, atque mas et fœmina.

12. *Alexander.*

Generosa mulier vera virtutis penus.

13. *Euripides Antigona.*

Haud liber ultra est, nuptiæ quem vinciunt:
Sed adest bonum istud, a malis quod actibus
Affinitatis abstrahit reverentia.

14. *Hippothoon.*

Unanimis uxor optimum munus viro.

15. *Euripides Phryxo.*

Quoties maritus in malo aut morbo jacet,
Dulcissimum, uxor si domum recte regat.
Iram illa lenit: illa mentem liberat
Mœrore: dulcis ipsa fraus amantium.

[q] TITULUS LXVIII.

UXOREM DUCERE NON ESSE BONUM.

1. *Anaxandrides.*

De nuptiis qui consulit, sibi consulit
Non bene: quia consulto inconsultam rem facit.
Namque id malorum initium in vita maximum est.
Nam si dotatam pauper uxorem domum
Duxit, non uxor ista, sed domina est viro,
Qui servitutem servit. Cui nupta est inops,

[p] Potuerat conjungi cum Tit. LXXIII.

Egens, in vitam et ille servilem incidit,
Ut cui jam pro uno sustentandi sint duo.
At turpem duxit: vita non vitalis est:
Tædet pigetque in propriam indugredi domum.
Pulchram exambivit alius: ah demens, suam
Hanc si magis putavit quam viciniæ.
Ita quo te vertas cunque, haud effugere est malum.

2. *Alexis.*

Uxorem nec ceritus nec limphaticus
Quis ducat, tanto vixerit cum suavius?
Notam subire quanto satius pauperi
Quam ferre uxorem? quippe quos Censor notat,
Hos aliis imperare leges non sinunt.
At enim maritus ipsius imperium sui
Ejurat. Atque ei, vita dum incolumis manet,
Cottidie supplicia nascuntur nova.

3. *Philemon.*

Mulier necessitatis perpetuæ est malum.

4. *Menander.*

Is demum infortunatus, in egestate qui
Uxorem ducit, educitque liberos:
Ah demens qui nec præsidia in præsens habet,
Nec, si quid, ut fert vita, secus evenerit,
Habet integumentum quo famam occultet suam.
Sed misere ætatem degit nudam, obnoxiam,
Importuosam, compos tristitiæ et mali,
Sed omnium expers delitiarum et gaudii.
Namque omnes doceo miserans unius vicem.

5. *Naumachius.*

Pulchra quidem res est intacta in corpore casto
Virginitas, animi sanctis exercita curis;
Quæ nec onusta malis trahit ilia fessa laborum,
Sæva nec immitis Lucinæ tela tremiscit.
Hanc sectata viam, veluti Dea, cœtibus exstans

Fœmineis, trans vitam humilem sua lumina mittit,
Vera jugantur ubi connubia, fœtaque sanctis
Vocibus interno gaudet mens conscia partu.
Quod si vita tibi placet hospita, providus horum
Quæ sors ista trahit, monitis te ducere pergam,
Ut portum cursu liceat tenuisse secundo.

6. *Philippides Ananeūsa.*

Ut abstinens conjugio placide viveres
Fueram auctor Phidyle. Optime aiebat Plato,
Vel eo carendas nuptias, negotia
Ne plura ad ictum pateant fortunæ magis.

7. *Anaxandrides.*

Abeamus a puella. Amaritiæ est penus.

8. *Hipponax.*

Uxor marito dat duos dies dulces :
Cum sponsa nubit, cumque funus effertur.

9. *Epicharmus.*

O Clinia, nulla uxore gravior sarcina est.
Nos scimus. Felix est cui nescire hoc licet.

10. *Menander.*

Mihi bene volentum nemo uxorem duxerit.

11. *Idem.*

[q] Audi tu qui statuisti uxorem ducere :
Sat bene erit, parvo si defungaris malo.

12. *Euripides Ino.*

Haud scripta recte jura sunt connubiis.
Decuit beatum pluribus se uxoribus
Sociare, quantas alere sufficeret domus,
Ut inaudientem pelleret penatibus,
Bonam volenti corde servaret sibi.
Nunc una sola accipitur, immenso nimis
Vitæ periclo. Nam priusquam intrat domum
Nova nupta, nulla moris exploratio est.

[q] Refer ad Tit. XLIV.

13. *Idem Alcestide.*

Nam quæ gravior pœna marito
Quam viduari conjuge fida?
Utinam nunquam nostram consors
Hæc venisset deducta domum.
Felix, felix quisquis thalamis
Et prole vacat. Namque una anima est,
Cui sat debet suus esse dolor.
Sobolis morbos et vastatum
Immatura morte cubile
Quam triste pati, quantoque frui
Satius semper
Improle et cælibe vita!

14. *Ibidem.*

Nec inesse toro
Majus tristi dulce fatebor.

15. *Idem Sthenobœa.*

Multos superbos opibus, ortu nobiles,
Dedecore vecors fœmina affecit domi.

16. *Philemon.*

Sibi solum agentem fors alit quamvis mala.

17. *Aristophanes Polyido.*

Confarreatam conjugem pulchram tibi
En trado: flammam videor in flammam addere.

18. *Menander.*

Habere uxorem, patrem dici, Parmeno,
Innumeras adfert vitæ sollicitudines.

19. *Sophocles Tereo.*

Deserta jam nîl valeo: sæpe autem meo
In corde volvi quam sit infesta undique
Sors fœminarum. Ætatis in primordio
Vitam puellæ vivimus suavissimam.
Nam blanda nutrix semper insipientia est.
Maturiores postquam ad annos venimus

Emancipamur, et foras protrudimur
Procul paternis Dîs, procul parentibus.
Hospitibus aliæ damur, at aliæ barbaris,
In fœderatas, aut in externas domos:
Et ista noctis unius commercio
Probanda nobis omnia ac laudanda sunt.

20. *Philetas.*

Uxorem si non duxis, vives commode.

21. *Diphilus.*

Bonam reperire uxorem difficillimum.

22. *Chæremon.*

Sepelire uxorem satius est quam ducere.

23. *Philemon.*

Ad pœnitendum properat qui uxorem accipit.

24. *Hippothoon.*

Haud liber ultra est nuptiæ quem vinciunt.

25. *Menander.*

Quisquis tranquillam vitam quærit, nuptias
Ut alii faciant, ipse abstineat nuptiis.

26. *Theodectes.*

Ætas senectæ similis matrimonio est:
Desideramus hoc et illam consequi:
At consecuti cum sumus valde dolet.

27. *Antiphanes.*

Extrema malorum linea matrimonium est.

28. *Menander.*

Felix relicta quem facit res divitem:
Nam quæ cum uxore veniunt trans limen domus,
Horum nec firma nec suavis possessio est.

TITULUS LXIX.

PRO DIVERSIS CONJUGUM MORIBUS NUNC PRODESSE, NUNC OBESSE NUPTIAS.

1. *Theodectes.*

Quoties maritus ducit uxorem domum,
Non ille solam ducit uxorem, ut putat.
Cum nupta festum transilit limen pede,
Fortuna pariter intrat aut bona aut mala.

2. *Susarion.*

Audite populus quæ Susarion dictitat:
Malum, Quirites, mulier. Interea tamen
Coli penates nequeunt absque isto malo:
Malum est uxorem ducere, et non ducere.

3. *Euripides.*

Nec vita conjugalis infausta omnibus,
Nec fausta rursus. Nam mala uxor maxima est
Miseria. Felix ille qui reperit bonam.

4. *Menander.*

S. Ut fatear, displicet
Res ipsa. *A.* Nempe quia sinistrorsum rapis
Quicquid molestum, quicquid adversum accidit
Tecum ipse spectas, et connives ad bona.
Atqui nihil usquam, Simyle, invenias boni
Cui nulla se mali admiscuerit portio.
Mulier opipara res molesta est, nec sinit
Virum pro arbitrio vivere: hæc eadem tamen
Sua commoda adfert, liberos: mersum gravi
Morbo maritum curat familiariter,
Nec conflictantem cum Fortuna deserit:
Defuncti exsequias rite curat. Respice
Ad ista, si quid tædii animo obvenerit.
Ita rem feres facilius. Sin quicquid dolet

Excernas semper tibi, nec contra compares
Quod est utibile, jam tolerando non eris.

5. *Euripides.*

Felix profecto, cui bona uxor contigit:
Felix et ille vita cui cælebs placet.

6. *Hesiodus Operibus.*

Commoda si qua viro conjunx obvenerit, hæc est
Fortunæ pars prima bonæ: mala, pessima sors est,
Delitiosa, virum quæ torre potentius omni
Urit, et ad celeris perducit fata senectæ.

7. *Euripides Alcmæone.*

Præcipua mulier commoda atque incommoda
Adfert marito: discite hoc monitu meo.

8. *Philippides.*

Dotata nupsit uxor, et turpis tibi,
Ut suave cœnes atque insuave dormias.

9. *Euripides Protesilao.*

Quicunque passim fœminas uno ordine
Vituperat omnes, errat et pravum sapit.
In classe tanta nempe reperire est malas:
Sunt rursus aliæ, ut ista, generosa indole.

10. *Menander.*

Si vere rem putamus, conjugium quidem
Malum est: sed hoc malum imperat necessitas.

11. *Euripides Melanippa.*

Nîl invenitur fœmina pejus mala:
Bona nihil reperitur excellentius.
Tam varia sexus unus ingenia obtinet.

12. *Idem Alcestide.*

Nam quæ gravior pœna marito
Quam viduari conjuge fida?

13. *Idem Oreste.*

Quicunque faustis vinciuntur nuptiis,

His læta vita est. Sors quibus cecidit secus,
Nil nisi miseria restat et foris et domi.

14. *Sophocles Phædra.*

Uxore prava nulla contingit viro
Major calamitas; nec bona majus bonum.
Quisque, ut periclum fecit, ita rem judicat.

15. *Hesiodus Theogonia.*

Assignata viro nutu Jovis altitonantis
Fœmina, grande malum. Sed consors fida laborum
Est eadem. Nec parte alia sincera voluptas:
Nam qui connubium fugitans curasque jugales
Præcipites annos attingit cælibe vita,
Auxilio caret ille senex: si copia victus
Suppetit, hanc poscit, morientique imminet hæres
Ingratus. Contra, thalamos cui fata dederunt,
Si prudens, ornata bonis si moribus uxor,
Prospera compensat duris, et tristia lætis.

16. *Euripides Hecuba.*

Calumniari parce: ne sævi, æstimans
Tuis miseriis omne fœmineum genus.
De gente nostra pars ad exemplum bona est:
Pars in malarum jure censemur grege.

17. *Epicharmus.*

Par facit novus maritus quasi ter aut ter sexies
Aleam jactet fritillo: nam probam si duxeris
Et benignam, res secunda cecidit, est quod gaudeas:
Sin vagam, domi infrequentem, sumtuosam, garrulam:
Non uxor tibi hæc futura est sed bene comta calamitas.

18. *Euripides Œdipode.*

Casta se matrona totam mancipat servam viro:
Quæ mala est, spernit feroce conjugem vecordia.

19. *Idem Melanippa.*

Odio esse postquam cœpit, heu miserum genus

Muliebre, culpa sontium insontes gravat,
Malæque castas in probri partem trahunt:
Et ad ista, quæ sors exigit connubii,
Cunctas mariti sapere nos credunt nihil.

20. *Idem Alexandro.*

[r] Mali malarum se applicant connubio.

[s] TITULUS LXX.

DE UXORIS PETITIONE.

1. *Euripides Melanippa.*

Non destinatum sorte si quæris torum,
Frustra laboras. Quæ manet fato virum,
Sponte in penates veniet et nullo ambitu.

2. *Idem.*

Proserere prolem parce Dîs nolentibus.

3. *Idem Antiopa.*

Affinitates, qui sapit, quæret pares.

4. *Idem Melanippa.*

Sublimiori genere qui natas petunt,
Opibusve opimas conjuges, optant male.
Ubi namque potior res domi est uxoria,
Vir mancipatus jura non retinet sui.
Dotalis iste census infelix viro est,
Qui difficilius efficit divortium.

5. *Menander.*

Vir pauper, quoties implicans se nuptiis
Cum uxore dotem pariter admittit domum,
Se tradit illi captum, non illam capit.

6. *Euripides Meleagro.*

Mihi si, quod omen magnus avertat Deus,
Ducenda conjunx, sit meæ proli parens

[r] Refer ad Tit. LXX.

[s] Potuerat conjungi cum Tit. LXXII.

Quam durus habuit usque labor exercitam.
Stirps illa quippe egregia, cui geminus parens
Vixere legis sub severæ regula.

7. *Menander.*

Qui uxorem ducit, horum spectet alterum,
Aut pulchram speciem aut mores morigerabiles,
Alimenta mutua charitatis benevolæ.

8. *Hesiodus Operibus.*

Quære toro intactam, pulchris quam moribus ornes:
Neu sit læta tua vicinia labe, caveto.

9. *Theognis.*

Nobilitas asinis et equis simul, arietibusque
Dat pretium: nec de semine degeneri
Admissura placet. Sed pravæ e sanguine pravo,
Si dos sit, præsto est optima conditio.

10. *Euripides Antiopa.*

Moneo nunc omnes semel,
Ut ex honesto genere progeniem serant.
Non illa quippe semper infelix erit.

TITULUS LXXI.

IN NUPTIIS UTRIUSQUE ÆTATEM ESSE SPECTANDAM.

1. *Euripides Phœnice.*

Res senibus importuna matrimonium,
Et triste natos tollere ætate in mala:
Seni marito quippe matrona imperat.

2. *Theognis.*

Tempestiva seni primævo flore puella
Non est, nec clavo, ceu ratis, apta regi:
Anchora non illam teneat: sed fune soluto
Nocte illam statio non tua suscipiet.

3. *Euripides Æolo.*

Puella juveni nupta non recte datur:
Nam masculus fert melius ætatem vigor;
Muliebre corpus citius in senium cadit.

4. *Sappho.*

Quando mî bene vis, junge toris te juvenilibus:
Nam tanto senior te nequeam vivere conjuge.

5. *Euripides.*

Nam quod jugale contigit fœdus mihi,
Hoc me teneri fas ad ætatem ultimam.

6. *Hesiodus Operibus.*

Quære tibi uxorem cum justa adoleverit ætas,
Nec multum decies ternis provectior annis,
Nec minor: hic verus thalamo modus. Apta puella
Connubiis, quinto floris jam puberis anno.

7. *Euripides Danae.*

Audite juvenes: omnibus dictum volo,
Differre thalamos ad senectæ terminum
Nolite. Prolem serite, dum tempus sinit.
Res est molesta fœminæ conjunx senex.
Properate: juvat hoc educandis liberis,
Pulchrumque juveni natus alludens patri.

8. *Idem Phœnice.*

Senex maritus fœminæ ingratissimus.

TITULUS LXXII.

IN CONTRAHENDIS NUPTIIS NON OPORTERE NOBILITATEM NEQUE DIVITIAS SPECTARE, SED MORES.

1. *Diodorus.*

Legem hanc condixi, atque ipse constitui mihi:
Ita scivi, ita sanxi, ita animi stat sententia:
Pol satius inopem ducere eductam probe,

Quam male moratam dote fretam dapsili,
Vitæ consortem assiduæ consuetudinis.

2. *Menander.*

Hoc more uxores nos oportet ducere,
Quod faustum ac felix Juppiter magnus duit;
Non, ut fit, in rem nihili dotem anquirere,
Quis avus, quis avia fuerit nupturæ in domum;
Interea mores ejus, quicum tu exigas
Ævum omne, non inspicere, non perpendere;
Ac dotem in mensa ponere, ut nummos probi
Sint, improbine, exploret argentarius,
Quinto post mense non mansuros in lare:
At illam, quæ domum obsidebit perpetim,
Non exploratam fortuito sumere,
Iracundam, immorigeram, si casus ferat,
Duram, loquacem. Mihi stat animus ducere
Natam per urbem. Si quis hanc propriam cupit,
Dicat; sed monitus, quantum in se accersat malum.
Nam quin malum sit mulier, vitari haud potest,
At ille felix, minimo qui defungitur.

3. *Euripides Andromache.*

Conjugia si quærenda, generosa indoles
Spectanda sexus utriusque in fœdere est.
Fœdi cupido nulla te teneat tori,
Nec si ille totos opibus impleret lares.

4. *Idem Cressis.*

Jam ducite, inquam, ducite uxores domum,
Nempe ut veneno liceat aut fraude emori.
Stultus profecto qui malam optat conjugem
Pro sanguine aut pro dote: cum magnas opes
Fortuna superet modica bene culti laris.

5. *Hipponax.*

Sors nuptiarum fausta prudenti viro,
Mores bonos cum conjuge accipere in domum.

Hæc sola dos est quæ penates sospitat.
Nam qui severæ conjugem vitæ legit,
Sociam laboris ille, non dominam accipit,
Fidam, benevolam, pectore immutabili.

6. *Euripides Bellerophonte.*

Multos superbos opibus, ortu nobiles,
Dedecore vecors fœmina affecit domi.

7. *Menander.*

Quæ bona cum uxore veniunt trans limen domus,
Horum nec tuta nec suavis possessio est.

8. *Euripides Antiopa.*

Si bene animata est, perplacet. Sin, quo mihi
Formosa vultum, pectore intestabili?

9. *Antiphanes.*

Nullum esse gravius impedimentum potest,
Quam mulier dote sarcinata cum advenit.

10. *Euripides Andromacha.*

Non te maritus fascinis odit meis:
Sed quod deest tibi blanda morigeratio
Illex amoris. Forma matronas minus,
Quam vera virtus, crede, conciliat viris.
Tibi si quid ægre est, magna Lacedæmon sonat
In ore: nihil est Scyrus: inter pauperes
Cupis videri opulenta: Menelaus tibi
Est ante Achillem: propter hæc gravis es viro.

11. *Menander.*

Qui uxorem ducit res quæ avitas creverit
Ex asse, aut pœnas pendit iratis Deis,
Aut miser esse optat sub beati nomine.

12. *Euripides Meleagro.*

Si sequiori junxeris fortem toro,
Sperare non sit inclitam propaginem.
Bono ex utroque semine et proles bona est.

13. *Idem Melanippa.*

Sors conjugii
Media, et parvo contenta domus,
Mortalibus optima res est.

14. *Idem Andromacha.*

Multo optatius,
Generum aut amicum pauperem adipisci ac probum,
Quam divitem pravumque. Tu nullæ es rei.

TITULUS LXXIII.

VITUPERATIO MULIERUM.

1. *Euripides.*

Vis sæva fluctuum, ira quos ponti ciet:
Sæva est et ignis anima, et amnis vortices:
Res sæva egestas: sæva sunt mille altera.
Tamen muliere sævius nullum est malum.
Non ullus istam pingat ærumnam color:
Non ulla fingent verba. Quod si quis Deus
Hanc reperit, idem quisquis est summi mali
Se sciat opificem hominibus infestissimum.

2. *Menander.*

Periculi
Res plena est mulier recte cum fari incipit.

3. *Euripides Hippolyto.*

Odio mulierum pectus expleri nequit.
Pereant. Nec eadem me pudet semper loqui,
Quando esse et illas non pudet semper malas.
Aut igitur illas melius ut vivant doce,
Aut patere me illas usque et usque incessere.

4. *Menander.*

Grave est habere fœminæ verbis fidem.

5. *Euripides Œdipo.*

Res inter omnes mulier insuperabile est.

6. *Incertus.*

Infesta conjunx hostibus detur meis.

7. *Menander.*

Infida res est omne fœmineum secus.

8. *Euripides Medea.*

Formidolosum mulier est ad cætera,
Contra tueri non valens ferri impetum.
Quoties at eadem pellice obducta dolet,
Nulla inveniri mens potest immanior.

9. *Idem Hecuba.*

Si quis mulierum sexui convitium
Aut fecit olim, aut faciet, aut etiam facit,
Horum omnium unus dicta summatim eloquar.
Nil tale salsa maria, nil terræ educant.
Quam vera sint hæc, scit, periclum qui facit.

10. *Idem Melanippa.*

Genitrice demta mulierum omne odi genus.

11. *Idem Danae.*

Nam cum paternos mulier egreditur lares,
Non jam parentum propria est, sed conjugis.

12. *Idem Alope.*

Mulier mulieri ferre suppetias solet.

13. *Idem Æolo.*

Onerare probris fœminas qui desinit,
Facit hoc miseria auctore, non sapientia.

14. *Idem Ægeo.*

Odit priores mulier affectus suos,
Postquam secundo fœderi implicuit fidem.

15. *Idem Andromacha.*

Artes reperies mille, quando fœmina es.

16. *Idem Ægeo.*

Viri paventis uxor audacissima est.

17. *Idem Andromacha.*

Ex miseriis fœminas
Quædam voluptas sequitur, ipsas miserias
In ore habere semper et lingua sitas.

18. *Ibidem.*

Natum invidere est omne fœmineum genus,
Nec posse thalami ferre consortem sui.

19. *Ibidem.*

Confiteor. Atqui belluarum morsibus
Et anguium aliquis remedia invenit Deus:
Contra mulierem, vipera pejus malum
Flammaque, nulla inventa medicina hactenus.
Tam sæva generi pestis humano sumus.

20. *Idem Bellerophonte.*

O fœminarum pessima: hoc in nomine
Nam continetur quicquid est opprobrii.

21. *Idem Danae.*

Ita fama perhibet, fœminas astu magis
Pollere, ferri laude potiores viros:
Nam si daretur fraudibus victoria,
Virile nostras iret in leges genus.

22. *Ibidem.*

Tecum fatebor: nil nisi spolium sumus
Miseræ mulieres, ni virûm virtus juvet.

23. *Idem Hippolyto.*

Proque igni novus
Successit ignis, atque inexpugnabile
Malum, mulieres.

24. *Idem Ino.*

Quanto virili sexus infelicior
Est fœminarum! quippe quantum linquimur
Virtute, tantum scelere superamus viros.

25. *Ibidem.*

O misera vita, pectora o muliebria:

Truculenta quam nos pestis exercet Venus!

26. *Idem Iphigenia.*

Multum struendas mulier ad fraudes valet.

27. *Idem Medea.*

Res inter omnes, queîs datus vitæ vigor
Sensusque, nihil est fœmina infelicius.
Primum maritus dote magna et splendida
Emendus: hunc necesse dominum corporis
Accipere. Cunctis quod malis pejus malum est.

28. *Idem Œdipo.*

Minor est uxor vili, quamvis
Clarissima, nupta marito.

29. *Idem Meleagro.*

Telæ laborem si viri sumant sibi,
Contra capessat arma fœmineus furor,
Nobis et illis arte dejectis sua
Non usus esset, non honos ullus super.

30. *Idem Hippolyto coronato.*

Hominum Deûmque sator, in oras luminis
Cur edidisti fœminas falsum genus?
Nam gignere homines si fuit curæ tibi,
Non debuit tamen esse fœmineæ hoc opis:
Sed collocantes in tuis penetralibus
Aurum vel æs vel dura ferri pondera,
Pretio parare liberos satius fuit.

31. *Idem.*

Omnes mulieres exsecror. Te maxime,
Quæ prava facta voce blandiloqua tegis.

32. *Idem Medea.*

Præterea rudes
Nimium bonarum fœminæ rerum sumus,
Malis struendis opifices industriæ.

33. *Ibidem.*

Ni te torus stimularet, hæc non diceres.

Huc nempe ventum est: vestra si cedant bene
Conjugia, habetis cæterum pensi nihil.

34. *Idem Oreste.*

Fortuna quoties urget, involvit virum
Majore semper mulier infortunio.

35. *Idem Phryxo.*

Male velle semper ante genitis liberis
Fama est novercas. Hoc ego effugio probrum.

36. *Idem Phœnissis.*

Calumniosum est omne fœmineum genus:
Minima ad profandum si data est occasio,
Plus semper addit, inque cœtu congrege
Magna est voluptas nil grave et sanum loqui.

37. *Homerus.*

Nosti fœmineo quæ stet sententia cordi:
Rem cupit illi auctam, cui nunc sociata marito est:
Nec veteres natos, nec primi gaudia lecti,
Ingrata, aut cineres curat meminisse sepultos.

38. *Hesiodus.*

Credere fœmineis, est furi credere, verbis.

39. *Alexis.*

Nullum muliere est animal impudentius:
Hanc ego de me ipsa conjecturam mutuor.

40. *Menander.*

Quid cogitavi miser heu qui beneficium
A muliere expectavi? dum ne quippiam
Mali indipiscar inde, satis id est lucri.
Namque adeo a muliere melius expectes nihil.

41. *Euripides Auge.*

Sumus mulieres. Sæpe nos vincit pavor:
Est quando superet nemo nos audacia.

42. *Alexis.*

Non murus, non vis auri, non quicquid putes,
Custoditu difficile est æque, ac fœmina.

43. *Menander.*

Tunc maxime timenda mulier, cum admovet
Orationis benevolæ illectamina.

44. *Idem.*

Anum irritare quam canem tutum est minus.

45. *Idem.*

Meretrix honestum quid sit nunquam cogitat,
Ut quæ malitiam quæstui habeat maximo.

46. *Idem.*

Mulier suopte ingenio effrænis et fera est.

47. *Hesiodus Theogonia.*

Hinc adeo enatum est genus exitiale ferumque
Fœmina, dira lues stirpi sociata virili,
Cui cordi satias, odiumque est pauperis ævi.

48. *Antiphanes.*

Unum mulieri quod credo hoc est, vivere
Semel ubi desierit, non victuram denuo.
Ultra, usque ad mortem, nihil est quod ei creduim.

49. *Hesiodus Operibus.*

His ego pro rapto igne malum dabo, quod tamen omnes
Læto corde colant et ament sua damna foventes.

50. *Ibidem.*

Indita mens illi fallax, nec gnara vereri.

51. *Idem.*

Illi Mercurius subter præcordia fixit
Blanditiam, falsosque dolos, mentitaque verba.

51. *Sophocles Epigonis.*

O omne facinus ausa plus quam fœmina.

Incertus.

Nec est, nec olim si lues surget nova,
Ullum erit hominibus fœmina gravius malum.

52. *Antiphanes.*

Vir, qui laborans oculis multa fert mala,

Magnum malorum repperit solatium,
Uxorem interea temporis quod non videt.

53. *Philiscus.*

Ad cuncta persuadenda quæ credi cupit
Habet loquelam lectus impetrabilem.

54. *Sophocles.*

Virile, sapiens fœmina in vidua domo.

55. *Euripides Hippolyto.*

Ut sapere pergas moneo, Theseu: fœminæ
Quamvis loquenti vera, nîl credas velim.

56. *Menander Supposititio.*

Terra marique cum tot gignantur feræ,
Has inter omnes maxima est mulier fera.

57. *Euripides Phœnice.*

Mulier malorum est omnium immanissimum.

58. *Menander.*

Ubicunque est mulier, ibi malorum omne est genus.

59. *Incertus.*

Fœmina
Haud facile verum ut dicat a sese impetret.

60. *Phocylides.*

Hæc quoque Phocylidæ: Rebus de quattuor ortum
Gens muliebris habet. Nam pars cane, pars ape nata est,
Pars sue, pars et equa. Sed quam generavit equæ vis,
Fœcunda est, agilis, vaga, formosissima vultu.
De sue quæ genita est, inter pravamque bonamque,
Trux et difficilis. Quæ de cane, gnara laborum,
Fida domus custos. Ape quæ solerte creata est,
Hanc thalami sociam votis ardentibus opta.

61. *Simonides.*

Non fecit unam fœminæ mentem Deus.
Est quæ parentis hispidæ mores refert
Suis propago, tota res cujus domi

Prostrata turpi sordet in cæno ac situ:
At ipsa nunquam lota, cultu squallido,
Pinguescit alto considens in stercore.
Est, ex maligna vulpe quam finxit Deus
Sagace mente præditam, cujus nihil
Boni malive præterit solertiam:
Quin ipsa sese, moris alterni, bonam
Malamque præbet, blanda et irritabilis.
At quæ parentem sedula expressit canem,
Audire quærit omnia et nosse omnia,
Vagans, oberrans, lumine emissitio,
Tollens latratum sæpe viso nemine:
Illam nec ullis comprimet conjunx minis,
Nec si ille malas rudere edentaverit,
Nec si benignos mollis affatus paret:
Tum sæpe, quamvis hospites juxta sedens,
Inefficaces stulta clamores movet.
Est, quam Deorum finxit e limo manus
Durum marito tædium: quæ nescia
Boni malique desidem vitam trahit:
Opus nec ullum docta, præter mandere.
Nec cum gelascit horrido cælum Jove
Saltem crepanti proximat sellam foco.
Mari creatam jam mihi considera:
Modo hæc renidet læta per totum diem,
Ut laudet illam quisquis ignotus videt,
Juretque nullam repperiri fœminam
Aut pulchriorem, aut cultiorem moribus:
Modo illa rursus visu et affatu gravis,
Ut ferre nemo possit, horrendum furit,
Velut canis succincta catulorum grege,
Infensa cunctis, trux et implacabilis,
Amici et hostis nesciens discrimina:
Ut sæpe, venti cum tenent silentium,

Æstiva ridet unda pacati maris
Blandita nautis; sæpe cum nimbi irruunt,
Horrescit altis intonata fluctibus:
Sic illa et iras tollit et ponit truces,
Pontique ritu mobiles æstus habet.
Asellus at quam [1] verbero gilvus parit
Necessitatis lege ineluctabili
Minisque adacta, quod viro jussum, facit:
Furtim interim qua nocte, qua potest die,
Sese saginat, et vel ad focum vorat:
Nec delicate seligens adulteros
Cuivis roganti comiter morem gerit.
At fele natum, triste et infelix genus:
In hac benignum aut illecebrosum nihil,
Nîl repperire est dulce, nîl amabile:
Intacta lecti gaudiis, spernit virum
Fastidiosæ plena contumaciæ:
Multumque, sed per furta, vicinis nocet:
Pollucta ab aris abliguritum venit.
At quam superbus edidit jubis equus,
Spernit laboris omne servilis genus:
Non illa cribrum, non molam tangit manu:
Non si quid usquam sordidum everrat domo:
Ingens sedere credit ad furnum nefas,
Perosa fumum: sponte nîl præstat viro:
Sed bis lavatur de die, vel ter quoque,
Et delibutum corpus unguentis habet:
Discriminatas pectine exili comas
Gaudet revinctis impedire floribus,
Extraneorum visibus spectaculum
Dulce atque amœnum, conjugi damnum grave,
Ni forte Rex sit aut superbus Satrapa

[1] Olim: *gignit et piger cinis.*

Impendioso lætus oblectamine.
  Deformis autem simiæ propaginem
Deus maritis pessimam misit luem:
Nam cum per urbis publicam incedit viam,
Turpi ore debet omnibus ludibrium,
Cervice parva, vix ut inflecti queat,
Inclunis et crus tota: vir certe miser
In cujus ista pestis amplexus venit:
Consilia novit omnia atque omnes dolos
Ut æmulator simius: risu abstinet,
Nec demeretur quempiam: hoc unum videt,
Totosque secum sola consultat dies,
Quo machinatu maximum incœptet malum.
  Api beatus prosatam qui duxerit,
In qua invenire nîl potest calumnia;
Florescit ejus vita matrimonio:
Amans amanti consenescit conjugi:
Stirps unde prodit pulchra, rumoris boni:
Multum illa vincit quicquid est sexus sui:
Divina toto gratia in vultu micat:
Nec fœminarum garrulos cœtus adit
Libidinosis prurientes vocibus:
Tales benignus Juppiter donat viris
Prudente nuptas corde, casto corpore.
  Sed et priores fœminæ nutu Jovis
Olim exstitere, et nunc adhærescunt viris.
Hanc ille fixit maximam mortalibus
Crucem. Licet putantur ad multa utiles,
Qui vivit una, sentiet quid sit mali.
Nam lætus unum transiget nunquam diem,
Cum fœmina qui degit ætatem suam:
Vix esuriginem a suo aspellet lare,
Ferale numen triste contubernium.
Quin cum maritus gaudio quam maximo

Divinitus tentatur aut humanitus,
Illa ad querelas jurgiumque accingitur.
Quacunque vero fœmina in domo est, ibi
Hospes benigne nullus excipi potest.
Deinde quæ videtur apprime bona,
Hæc vero hiantem maxime illudit viri
Securitatem. Gaudet infortunio,
Malignitatis mos ut est, vicinia:
Cumque ista fiant, cuique laudatur sua,
Culpatur uxor alteri quæ contigit:
Nec nos eadem sorte sentimus premi.
Mali repertor quippe tanti Juppiter
Adfabricavit vinculum insolubile.
Hinc cæde multos orcus alternâ accipit
Effascinatos fœminarum amoribus.

[t]TITULUS LXXIV.

NUPTIALIA MONITA.

1. *Anaxandrides.*

Iter hoc molestum est ac difficile, o filia,
Domum in paternam de maritali domo
Transire, si qua moris matrona est probi.
Reciprocum iter hoc nunquam vacat infamia.

2. *Euripides.*

Non est viri prudentis, uxori nimis
Laxare fræna et imperî vim cedere.
Nîl in muliere stabile. Quod si cui bona
Contigerit uxor, prosperum infortunium est.

3. *Antiphanes.*

Ne corpus ornes arte pigmentaria,
Sed cor honestis moribus ac factis probis.

[t] Quædam horum etiam ad innuptas fœminas pertinent.

4. *Euripides Andromacha.*

Nemo adeo, nemo (nam satis non est semel
Dixisse) sapiens esse qui conjunx volet,
Alias mulieres ad suam uxorem sinat
Ventare: moris quod magisterium mali est.
Lenocinatur alia spe compendii:
Culpam propagat alia, jam culpæ rea:
Vecordia alias agitat. Hinc vitium trahunt
Casti penates. Tu luem hanc elimina
Claustris serarum vectiumque obstaculis.
Colloquia namque illa et salutantum greges,
Prodesse possint cum nihil, multum nocent.

5. *Menander Supposititio.*

Partes secundas quæ sapit credat suas
Matrona: summam cedat imperii viro:
Nam quos penates fœmina arbitrio suo
Moderatur, illos certa pernities manet.

6. *Antiphanes.*

Afficite pœna hanc. Inde enim labem trahunt
Mores mulierum, quod malis parcunt viri
Aut proximorum aut pignorum reverentia.
Contagiosa sceleris est impunitas,
Lateque serpit omne securum nefas:
Ita alma virtus fracta et afflicta occidit.

7. *Naumachius.*

Is tibi sit conjunx quem dilegere parentes.
Si fuerit sapiens, macta esto hoc munere cæli:
Sin minus, hunc etiam ferre ac tolerare necesse est.
Si tibi vir prudens aliquid præceperit, audi,
Nec tibi sit discors studium. Solare maritum
Blanda, sed in primis versant cum pectora curæ:
Quippe viro tristi conjunx est dulce levamen.
Quicquid agendum extra est, et res quæcunque virorum,
Illi cede: domus tibi sit custodia cordi.

Quicquid non recte scit fœmina, quærere noli.
Sin te consiliûm sociam velit esse suorum,
Sis voces audire celer, sed reddere tarda
Dispice cunctando. Nihil illum hortere rogesve
Arbitrio fecisse tuo: res plena pericli est.
Quæ sapit, illa satis primos sibi credat amores,
Nec velit unquam oculis spectari nuda secundis.
Si videas peccare virum, fer; (ferre necesse est)
Et tacitum cela, multum licet anxia, vulnus.
Pectore conde malum. Quid agat, vulgare caveto,
Vir tuus, idque ipsos malis nescire parentes.
Ipsa mone errantem, sed cum mollissima fandi
Tempora. Sæpe bonos irritant aspera verba,
Et duros mulcere datur sermone benigno.
Si flectat pravis conjunx tuus usus amicis
In pravum mores, tu ne sere jurgia contra:
Ipsos inter se potius committe sodales:
Nec tibi si sapias, morbosum abrumpere fœdus:
Atque ad amicitias potiores vertere mentem,
Durum adeo. Quis sponte malis lætetur amicis?
Mendax absit amor. Tu puro corde maritum
Dilige. Tum quantæ tibi sint sua pignora curæ
Conspiciat conjunx: nec erit tam ferreus, ut non
Et constante fide et stabili tangatur amore.
Hæc quoque sint, virgo, memori tibi mente reposta.
Nec nimia in risum, tristi nec nubila vultu,
Otia defugiens, moderatos sume labores.
Nec duro imperio famulos preme, nec tamen illis
Te dederis facilem: patet indulgentia damnis:
Securos dominos metus et reverentia præstant.
Externas fuge amicitias, nisi cognita quorum
Sint studia et mores et vitæ totius ordo.
Improba quæ sit anus, subeat tua tecta caveto:
Stantes sæpe domos vertit malesuada senectus.

Nec sociam multi quæ sit sermonis adopta:
Nam mala fœmineos perdunt consortia mores.
Nec gravis incedas auro, nec iaspide fulva
Impedias collum vel purpureo hyacintho,
Quæque alia ostentat vesana superbia: tu cur
Ornamenta foris cupias adsciscere non est,
Mirarive tuam speculo sub judice formam,
Aut suggesta comæ variis componere nodis,
Aut oculos nigrore, genas aut pingere fuco.
Non ita fœmineum corpus natura creavit
Ut partem ipsa daret, pars exigeretur ab arte.
Nam quî sustineas sapientis ob ora venire
Alternis varians corpus mortale figuris?
Discolor, ipsa tibi contraria, cui nova rursus
Et nova forma placet, nunquam potes una videri.

8. *Euripides Bacchis.*

Neque corda turpes veneris in vetitæ faces
Fœminea coget Liber: ingenium bonum
Semper pudici regulam moris tenet.
Hoc cogitandum est: in sacris evantium,
Quæcunque vere est casta non vitiabitur.

9. *Antiphanes.*

Ain? celatum quod velis, id conjugi
Tuæ propales? id vero, quæso, quid est
Nisi indicinam facere fori præconibus?

10. *Euripides.*

Vana atque inanis fœminæ custodia est.
Servare namque velle, servandæ sibi
Quæ non sit ipsa, decipi est operosius.

11. *Menander Flaminica.*

Excedis, uxor, terminos uxorios,
Quando atrio progrederis. Nam limes domus
Matronis gravibus atriense est ostium:

At insequi ultro et excursare in publicum,
Rhode, et differre pipulo, id vero est canum.

12. *Euripides Meleagro.*

Lare contineri fœminæ officium probæ est:
Foris vagantes nullius pretii puta.

13. *Idem Danae.*

Nulla est opum vis, nulla vis est mœnium,
Difficile quæ servetur æque, ac fœmina.

14. *Herodes Mimiambis.*

Ne si quid alter dixerit minus recte,
Tuas, puella, sanna torqueat nares.
Tolerare cuncta magna fœminæ laus est.

15. *Euripides.*

Magnæ mulieri sunt opes, conjunx amans.

16. *Sophocles Phædra.*

Ignoscite et tolerate. Nam quod fœminis
Est indecorum, par tacere est fœminas.

17. *Euripides Alope.*

Quo nuptiarum tanta consultatio,
Bene educatæ cum magis fœdent domos,
Leviusque peccet vita quæ neglectui est?

18. *Idem Antiopa.*

Ego censor haud sum, mulier: at rectum interim est
Vitare nimia, nec dare invidiæ locum.

19. *Idem Andromacha.*

Non etenim decet,
Unum imperare fœminis geminis virum.
Contentus uno conjugis vivat toro,
Quicunque cupiet rite curatam domum.

20. *Philemon.*

Bonæ mulieris, o Nicostrata, est, dare
Non imperiosam, sed morigeram se viro.
Viro superior fœmina immensum est malum.

21. *Euripides Andromacha.*

Matrem virorum præterire amoribus
Ne quære mulier. Quippe genitricis malæ
Effugere mores, liberûm prudentium est.

22. *Ibidem.*

Nec magna parvis aggeri fas est mala:
Nec si maligno fœminæ ingenio sumus,
Ideo æmulanda pravitas nostra est viris.

23. *Ibidem.*

Quicquid mali ultra est, fœminas lædit minus:
Bono marito quæ excidit, vita excidit.

24. *Ibidem.*

Æquale jus est fœminæ, quam vir suus
Vexat protervis insolens injuriis,
Viroque cujus uxor insanit domi.
Sed iste positas in manu vires habet:
Læsa illa amicos ac parentes respicit.
Superesse quare me quoque est æquum meis.

25. *Ibidem.*

Me perdiderunt mulierum affatus mali.

26. *Idem Peliasi.*

Laudo. Sed hoc te, filia, admonitam volo:
Donec puella es, quod puellarum est sape,
Et virginum una virginis mores tene.
Quod si subieris conjugis clari togam,
Contenta curæ parte mandata tibi,
Permitte rerum quicquid est ultra viris.

27. *Menander.*

Aut non ducenda est uxor, aut si duxeris
Ferenda mussitanti et dos et fœmina est.
Mas ecquis adeat, percunctari desine.
Namque hoc sapienti vitandum apprime est viro,
Ne servet nimis uxorem in claustris ædium.
Externa namque visus oblectamina

Sibi expetiscit; quæ si abunde suggeras,
Ubique præsens illa et spectans omnia,
Satiata obtutu, manet immunis criminum.
Viri quoque ipsi quæ latent captant magis.
At qui serarum vectiumque obstaculis
Uxorem servat, sapere ut videatur sibi,
Reapse totus plenus insipientia est.
Nam si qua nostri sexus extra cor habet,
Et telo et penna citius avolaverit,
Neque illam asservet oculea Argi vigilia.
Ita ad mala alia ludibrium est accessio:
Uxorque virque intereunt despicabiles.

28. *Sophocles Acrisio.*

Cum maxime sit virgo, et Argis edita,
Quarum decus silere, vel pauca eloqui.

29. *Euripides Iphigenia.*

Vir adest: tacendum: nequid accersam probri
Ignara et errans, inque eam partem cadat,
Quo non sit a me destinata, oratio.
Male fœminarum res habent sese ad viros.
Bonæ probæque cum malis promiscue
Habemur odio. Tanta sexus miseria est.

30. *Idem Medea.*

At ipsa consors usquequaque Jasoni.
Id ad salutem namque momentum grave est,
Non dissidere conjugum sententias.

31. *Idem Phryxo.*

Recte locuta est. Namque id uxorem decet,
Socialiter tolerare fortunam viri.

TITULUS LXXV.

BONUM ESSE HABERE LIBEROS.

1. *Diogenes.*

Beatus ille, qui valens membris, veges,
Natorum opifera robora acquirit sibi.

2. *Euripides Meleagro.*

O mater, ingens hoc et eximium est bonum,
[w] Auroque melius quod citas pennas habet:
Bona namque proles, morte quantumvis cadat,
Thesaurus est insignis, et clarum decus
Vitæ parentum, flosque perpetuus laris.

3. *Idem Œneo.*

Ut nulla certa est liberos extra fides!
Cognationem studia corrumpunt sua.

4. *Idem Danae.*

Mulier, amicum solis hoc magni jubar:
Dulce est tueri maria, cum venti silent:
Dulce est et amnis largus, et vernans humus:
Sunt alia pulchra multa, quæ possum addere.
Sed crede nullum gratius spectaculum est,
Quam post querelas orbitatis tetricæ
Conspicere florem liberûm orientem domi.

5. *Idem Hercule Furente.*

Ni jacta recte prima sunt fundamina
Gentis, miseriæ posteros certæ manent.

6. *Menander Incensa.*

Quam vero res est lepida alicujus dicier
Parentem!

7. *Euripides Protesilao.*

O nati quanti animo estis humano illices!

[w] Olim: Æquare nullis quod sit auri copiis, Habere pulchra prole fundatam domum.

8. *Menander.*

Instructa inopia, miseraque est felicitas,
Divitiæ heredem cum non inveniunt suum.

9. *Idem.*

Major voluptas nulla genitori datur,
Virtute quam si videat ac prudentia
Florere quenquam de suo exortum satu.

10. *Diogenes.*

Beatus ille prole qui felix fuit,
x Nullove certe indoluit insigni malo.

TITULUS LXXVI.

NON EXPEDIRE HABERE LIBEROS, NEC CERTUM ESSE AN SUI SINT EI QUI EXISTIMAT: QUIN NEC ADOPTANDOS.

1. *Menander.*

Res patre miserior nulla reperiri potest,
Nisi pater alter cui plus fuerit liberûm.

2. *Euripides Œnomao.*

Ambiguus animi cernere haud valeo satis,
An sit propago liberûm mortalibus,
An sterilis ævi vita fortunatior.
Conspicio miseros nulla queîs proles domi est.
Sed nec parentum major est felicitas:
Nam dira pestis moribus proles malis.
Quod si bonos sors dederit, hoc certe malum est,
Quod his parentes, ne quid eveniat, timent.

3. *Idem Andromache.*

Sunt anima nati. Qui periclum haud fecerit,
Minus dolebit, miseria felix sua.

4. *Menander Epiclero.*

Aut orbo et cælibi

x Olim: Aut certe qui non magnas luxit miserias.

Vivendum, aut sobole enata moriendum patri.
Adeo est acerbum quicquid est vitæ super.

5. *Sophocles Electra.*

Genuisse miserum est: nam nec affecti malis
Odisse nostro possumus cretos satu.

6. *Homerus Odyssea.*

Hoc me mater ait natum patre: nîl ego certi
Affirmem: generis nemo sibi conscius ipse est.

7. *Menander.*

Mater tenerius liberos adamat patre.
Quia mater esse scit suos, pater autumat.

8. *Idem Præaccusante.*

Patrem vocari liberûm quantum est metus,
Dolorque et ægritudo, sine fine ac modo.

9. *Sophocles Aleasi.*

Tace. Mihi illo patre censeri sat est:
Sive ille pater est, seu minus, refert nihil.
Res credita et recepta plus vero valet.

10. *Euripides Melanippa.*

Amens et excors, prole qui propria carens
Aliena domui pignora adsciscit suæ,
Arbitria fati more pervertens malo.
Cui stirps negata numine est cælestium,
Tolerare debet, non Deos incessere.

11. *Menander Pœnulo.*

Nemo ipse novit quo sit exortus satu.

Incertus. [Anthol. Pal. X. 124.]

Cura gravis, nati: fato rapiente, dolores:
Quod si vita manet, sic quoque cura gravis.
Si bona contigerit conjunx, nonnulla voluptas:
Sin mala, nulla viro finis amaritiæ.

12. *Euripides Erechtheo.*

Stirpi insitivæ nulla vis. Præstantius
Satu datum quam lege mentitum genus.

TITULUS LXXVII.

LIBEROS MARES PRÆFERENDOS, ET NOTHOS NON MINORIS HABENDOS QUAM LEGITIMOS.

1. *Euripides.*

Mulier paternis exiens penatibus
Non jam parentum est propria, cum ducta est viro.
At stirps virilis in domo semper manet,
Et jus sepulchrûm servat et avitos Deos.

2. *Menander.*

Ætate nata nubili, ut dicat nihil,
Satis tamen ipso significat silentio.

3. *Euripides Iphigenia.*

Domuum columina quippe sunt nati mares.

4. 5. *Menander Patruelibus.*

Felicitas eximia est sapiens filius.
At nata genitori operosa est possessio.

6. *Idem Piscatoribus.*

Filia, molestum incommodumque peculium est.

7. *Posidippus Hermaphrodito.*

Quantumvis inopes, filios tollunt tamen:
At filias exponunt etiam divites.

8. *Diphilus.*

Puella liberamur, difficili penu.

9. *Sophocles Aleasi.*

Proles notha et legitima tantumdem valet.
Quicunque probus est hunc probe natum puta.

10. *Euripides Antigona.*

Natura par est, nomen invisum notho.

11. *Idem Eurystheo.*

Vanum est quod adeo serere progeniem notham
Plerique metuunt. Si quis est recta indole,
Non mutat hujus vocis ingenium sonus.

12. *Idem Andromeda.*

Me non piget parare progeniem notham
Quæ parte nulla sobole legitima minor:
Sed lege premitur: quod cavendum existimo.

TITULUS LXXVIII.

DE PUERIS.

1. *Callimachus.*

Innumeri teneris pariles ætatibus agni,
Graminaque et caulæ sunt tibi, care puer.

2. *Theocritus Bucolicis.*

Parce meis agnis, lupe, parce et mollibus hœdis:
Parvo custodi nihil eripe de grege magno.

3. *Euripides Medea.*

Sæpe educasse quam dedisse exordium
Plus vincit, illecebrasque majores habet.

4. *Idem Auge.*

Quem non tuentem lusus infantum juvat?

5. *Euphorion.*

[y] Nate, caput miseræ ferro ne deme parenti,
Hoc utero soles quæ te gestare trecentos
Sustinui, tristesque metus sævosque dolores
Te nascente tuli: quæ suavem prima papillam
Immulgens tenero pavi te flumine lactis.

6. *Herodes Mimiambis.*

Nunc ludit ollam, nunc aheneam muscam:
Nunc melolonthæ vincla pedibus ut nectat,
Circumvoluta pauperat colum stuppa.

7. *Pompeius Longus.*

Amata quantum fas amari pignora,
Nunquam dolori, gaudio semper mihi,

[y] Refer ad Tit. LXXIX.

Pendete pueri matris a complexibus.
An allubescit ludus? ite et ludite
Tenella corda vere vitæ florido.
Annis adultis pariter adolescit dolor.

8. *Euripides Danae.*

Forte aut lacertis, pectori aut ludens meo
Assiliet, atque innocua libans oscula
Mulcebit animum. Namque blanditiæ hæ, pater,
In nostra magnam corda habent pellaciam.

9. *Sophocles Ajace.*

O nate, nate, vince fortuna patrem,
Par reliqua patri: nec malus censeberis.
Nunc hoc beatus vive, quod præsentium
Nullus malorum sensus ad te pervenit.
Nil quippe scire vita jucundissima est,
Discas priusquam gaudia et luctus pati.

10. *Euripides Medea.*

Atque ecce pueros video lassatos trocho
Adesse, nil materna curantes mala.
Tenella quippe corda tristitiam abnuunt.

TITULUS LXXIX.

A LIBERIS HONOREM DEBITUM PRÆSTANDUM PARENTIBUS: ET AN PER OMNIA EIS OBEDIENDUM.

1. *Theognis.*

Cyrne, nihil matre est, nihil est patre sanctius illis
Jura quibus cordi, fasque piumque sedent.

2. *Euripides Heraclidis.*

Quisquis parentes mente veneratur pia,
Hic vivus atque mortuus superis placet.

3. *Idem.*

Summe decora liberorum gloria est,
Prognatum honestis esse de genitoribus.

Ib. *Idem.*

Sancte colendos generis auctores puta.

4. *Idem Erechtheo.*

Nîl est parente charius natis sua:
Amate matrem, liberi. Nam dulcior
Nullus suorum quam suos erga est amor.

5. *Cleænetus.*

Honesta mors est pro parentibus mori.

6. *Dicæogenes.*

Tu, quem parentes educarunt sedulo,
Nunc recte eisdem gratiam reddis parem.

7. *Antiphanes.*

Quisquis vereri discit ista ætatula
Suos parentes, indolis ille est non malæ.
At quisquis jus et æquum non præstat patri,
Contemnet idem facile quotquot sunt Deos.

Ib. *Incertus.*

Nam res pudore digna est patrem vincere:
A patre vinci, nobilis victoria.

8. *Philemon.*

Tu me peperisti, mater. Sit feliciter
Tibi fruisci prole, tua ut pietas meret.

9. *Julius.*

Interea infelix Cadmum portabat Agave
Jam tremulum et multa confectum ætate parentem:
Ille onus egregium natæ cervice sedebat.

10. *Sophocles Antigona.*

Te dicerem insanire, ni genitor fores.

11. *Scriptor aurei carminis.*

Auctores generis cole, deinde et sanguine junctos.

12. *Agatho.*

Quam dulce natos esse morigeros patri!

13. *Alexis.*

Ego non sustinui matrem derelinquere:

Sed hanc servavi ante alia: nam quisquis sapit
Nihil prævortet matri, ne superos quidem:
Unde ille sapiens quisquis fuit antiquitus
Matri sacravit templi sanctitudinem,
Rem nudam signans non adjecto nomine.

14. *Menander.*

Hoc unum vereor, Clitiphon: male conscius
Patris ora non audebo contratuerier:
Nam reliqua effecta dare non desperaverim.

15. *Euripides Alcmæone.*

Commissa quæ sunt in parentes, hæc Deus
Persequitur ultor.

16. *Diphilus.*

Si patre videor justiora proloqui,
Pietatis sum desertor, in me injurius,
Molestus illi qui est amandus maxime.

17. *Timocles.*

Quisquis vereri didicit a puero patrem,
Idem præstabit et patriæ civem bonum,
Et magnas clades perduellibus feret.

18. *Menander.*

Difficile non est noscere ingenium patris,
Quam quisque tenere amat, tam facile irascitur.

19. *Euripides Archelao.*

Natos necesse est patris imperium sequi.

20. *Sophocles Œdipo.*

Vultus parentum cernere optatissimum est.

21. *Homerus Odyssea.*

Non Agamemnoniden audis quam clara sequatur
Fama, patris cædem justa quod cæde piarit?

22. *Euripides.*

Natos patri inservire, jus et fas jubent.

23. *Idem Alcmæone.*

Nam quo parentes liberos optent sibi,

Si non feramus rebus afflictis opem?

24. *Sophocles Acrisio.*

Animi modesti liberos paucis decet
Uti parentes ad suos sermonibus.

25. *Chæremon.*

Utinam tam felix sim patri ut reddam vicem.

26. *Menander.*

Jubet parentes lex coli juxta Deos.

27. *Euripides.*

Lex, crede quæso mater, intercedere
Nunquam ulla poterit quo minus studeam tibi:
Id quippe jus exposcit et partus tui.
Verum ante cuncta si meum crevi patrem
Amare, non est id quod irate feras:
Me sevit ille: et quicquid usquam est gentium
Nomen patris decusque, non matris, ferunt.

28. *Orpheus.*

Despicit ipse Deûm genitor qui jura parentum
Rite colant, et qui contemnant corde profano:
Atque illos opifer donis ingentibus auget:
Hos Furiis tradit Jovis implacabilis ira:
Quippe graves Diras læsi movere parentes.

29. *Euripides Alope.*

Quod est in hac re maximum, incipiam loqui.
Primum illud esto: filios patribus suis
Parere, jus est atque fas certissimum.

30. *Philemon.*

Venerarier parentes inprimis stude.

31. *Chæremon.*

Amor ad parentes esto constantissimus.

32. *Menander.*

Parentes qui vadaris, insanis miser.

33. *Dicæogenes.*

Numen parentes maximum sapientibus.

TITULUS LXXX.

DE DIIS MUNDIQUE AC RERUM CÆLESTIUM COGNITIONE.

14. *Hesiodus Theogonia.*

[z] Ora simul vertit populus, cum limite vero
Ambiguum causæ secat, et certamina magna
Compescit subito sapientia verba profatus.
Namque ideo inventi reges, ut sede curuli
Sublimes læsis ereptum restituant jus,
Mulcentes populi blandis sermonibus aures.
Illum omnis circum populus veneratur euntem:
Tantum more Dei cunctos supereminet unus.

[a] TITULUS LXXXI.

DE LITERIS.

1. *Æschylus Prometheo.*

Quin multiformes disciplinas artium
Et litterarum repperi compagines,
Penum memoriæ carminumque originem.

2. *Philemon.*

Oratio animi sedat ægrimoniam.

Ib. *Idem.*

Ut splenium, si recte illinitur, flammeos
Sedat tumores; itidem amica oratio
Attemperata leniter præcordiis
Restituit animam afflictam mœstitudine.

3. *Euripides.*

Permulta veterum dicta vim veri exprimunt.

Ib. *Incertus.*

Alloquia hominibus blanda, medicamen metus.

[z] Credibile est ad alium titulum pertinuisse hos versus, quorum partem et supra habuimus.

[a] Multa ad eloquentiam pertinent.

4. *Philetas Lusibus.*

Non feriet solis stantem me in montibus alnum
Rustica sublato dura ligone manus:
Sed qui carminibus gaudet, quem mille labores
Verborum varias edocuere vias.

5. *Euripides Hercule.*

Nec cessabo Veneres doctis
Jungere Musis fœdus amicum:
Ah ne vivam carminis expers.

6. *Idem Andromeda.*

Ah quam premente numine afflictæ tibi
Res sunt, at alti spiritus oratio!

7. *Idem Palamede.*

Ego ille mutas conjugans vocalibus
Monstravi hominibus litterarum fœdera,
Oblivionis tenebricosæ remedium:
Ut qui vagatur alta trans ponti vada
Conspiciat inde quod suæ geritur domi;
Ut morte functus liberis dictet pater
Hæreditatis dividendæ regulas:
Sed et nocentes litium discordias
Sequestra dirimit tabula, mentiri vetans.

8. *Callimachus.*

Infudi quæcunque meis unguenta capillis,
Et quæ temporibus florea serta dedi,
Omnia nunc sine honore jacent: nec tradita quæ sunt
Dentibus, ingratus quæ sibi venter habet,
Altera lux novit. Sed si qua fidelibus hausi
Auribus, hæc mecum non peritura manent.

9. *Philemon Exsule.*

Nec ille tantum reperit, quo pacto diu
Absentes alter colloquamur alteri,
Et qua ratione, quod quis addidicit semel,
Oblivionis e potestate eximat,

Retro gesta repræsentans: verum adeo insuper
Reliquit animi medicatrices litteras.

TITULUS LXXXII.

DE LITTERIS IN CONTRARIUM.

1. *Euripides Hippolyto.*

Eheu quod ipsis non datum est rebus loqui,
Ut nil valeret erudita oratio:
Nam nunc diserti callide verum clepunt,
Et sequiori mancipant causæ fidem.

2. *Idem Antiopa.*

Fandi peritus si qua se causa offerat,
Pro parte utravis facile dissertaverit.

3. *Evenus.*

Sunt quibus is mos est, nullo ut discrimine contra
Dicere, non etiam dicere recta velint.
His ego censuerim vetus hoc debere reponi:
Illa tibi placeant, dum magis ista mihi.
Rem bene si dicas, prudentes flectere paucis
Est tibi: sunt etenim ductilis ingenii.

TITULUS LXXXIII.

QUALES PARENTES ERGA LIBEROS ESSE OPORTET.

1. *Menander.*

Auditu nîl tam suave, quam cum filium
Compellans genitor veris laudat laudibus.

2. *Idem.*

Quoties minatur filio iratus pater,
Vel amans amanti, multa mentiri solent.

3. *Euripides Melanippa.*

Cuicumque pater est durus, inclemens domi,
Gravi atque grandi premitur adolescens malo.

4. *Menander.*

Qui commonefacit filium severiter,
Verbis acerbus ut sit, revera est pater,

5. *Idem.*

Qui filii animo morem gerit, habet is pater
Vitæ adjutorem, non subsessorem, suæ.

6. *Euripides Alcmena.*

Insevit homini maximos stimulos Deus
In prolem amoris.

7. *Menander Comprandentibus.*

Terrorem haud magnum incutiunt genitoris minæ.

8. *Theodectes.*

Natis salus consilia genitorum sequi.

9. *Philemon.*

Res dulcis pater est liberos si diligat.

10. *Menander.*

Amatur genitor, cui pro ira prudentia est.

11. *Idem.*

Benignitate patris fit melior filius.

12. *Idem.*

Blandiloquentia
Plus sæpe emendes natum, quam malo ac metu.

13. *Idem.*

Quam suavis est res, commodus et juveniliter
Festivus genitor!

14. *Chæremon.*

Non servat iram in filium clemens pater.

15. *Hippothoon.*

Sapiens juventam liberûm adducte regat.

16. *Euripides Dictye.*

Morem remota gerere contumacia
Amore capto filio debet pater,
Natus parenti. Non enim est hominum in manu
Amor, nec illud spontis est nostræ malum.

Audacia est insana, velle avertere
Necessitates numine immissas Deûm.

17. *Ibidem.*

Communis hæc lex stirpis est mortalium,
Trahens et ipsos in sui assensum Deos
Ferasque; amare quicquid est ex se satum:
In rebus aliis jure non uno utimur.

18. *Incertus.*

Carissimum esse liberos patri puto,
Natis parentem: nec societas firmior
Datur inveniri, nec fides antiquior.

19. *Antiphanes.*

Dilecti nati cum quid facio in gratiam,
Ego ipse memet videor munerarier.

21. *Euripides Dictye.*

Cum sit tibi stirps, cum genus vivat tuum,
Nova paras augere progenie domum,
Hostilitatem mutuam proli seris.

TITULUS LXXXIV.

PRÆSTANTISSIMUM ESSE FRATERNUM AMOREM.

1. *Menander.*

Quam dulcis est res fratrum concordans amor!

2. *Incertus.*

Quem conglutinat
Natura, nullum tempus alienum facit.

3. *Euripides Iphigenia in Aulide.*

Indigna res est, ut quid ambiguum incidit,
Pugnare fratres jurgio implacabili.

4. *Diphilus.*

Nam qui cognatus re, non solo nomine, est,
Cognati familiam habere debet pro sua.

5. *Incertus.*

An de germanis queritur, quibus orta simultas
Sit licet illa, fides prima in certamine belli est?

[b] TITULUS LXXXV.

DE RE FAMILIARI, DEQUE MULIERE EJUSQUE IN DOMO CURA, ET PRÆCEPTA AD MULIERES PERTINENTIA.

1. *Sophocles Ajace.*

Brevi ille dicto me satis noto increpat:
Mulier, mulieri mundus est silentium.

2. *Euripides Ino.*

Talis profecto famula matronam decet,
Quæ jus et æquum non tegat silentio,
Quodcunque fœdum est lumine infesto intuens.

3. *Hesiodus Operibus.*

Ne male casta tibi prædetur fœmina mentem,
Blanda, tuos lepido captans sermone penates.

4. *Euripides Supplicibus.*

Quod agendum putat
Matrona sapiens, per viros par est agat.

5. *Idem Oreste.*

Non est decorum virgini ire in publicum.

6. *Idem Sthenebœa.*

Abripite famuli hanc. Quisquis est mortalium
Cui sapere cordi est, fœminæ credat nihil.

[b] Pertinent hæc ad Tit. LXXIV.

TITULUS LXXXVI.

NOBILES ESSE QUI SECUNDUM VIRTUTEM VIVUNT, QUIQUE PROBO SUNT INGENIO, QUAMVIS CLARIS PARENTIBUS NATI NON SINT.

1. *Euripides Dictye.*

Præconia a me haud magna nobilitas feret:
Nam bonus et æquus nobilis me judice est:
Contemtor æqui, quamlibet claro satu
Ipsum Tonantem superet, est ignobilis.

2. *Idem Alexandro.*

Inane nomen nobilis fulgor domus
Et stirpis excelsum decus.
Cum separavit alma mortales parens,
Os finxit æqualem in modum
Fœcunda tellus. Nîl habemus proprium.
Sunt semen unum nobiles
Ignobilesque; lege sed discrimina
Reperta perfecit dies.
Mens cauta vere nobiles reddit, Dei
Quæ dote non censu datur.

3. *Astydamas.*

Laus tuta generis, si virum laudes simul.
Cui sancta morum norma, cui juris pudor,
Mens casta, recte nobilem appellaveris:
Qualem vel unum longus ægre invenerit
In centum hominibus mille quærentum labos.

4. *Euripides Electra.*

Opinioni credulum vanæ genus,
Nunquamne posito errore discetis viros
Vita æstimare, nobilesque ex moribus?
Hi civitates, hi domos recte regunt.
Et vasta moles et lacertorum tori
Mera sunt fori simulachra: nec securius

Robusta teneris brachia hastam exceperint:
Sed omne in animo hoc atque in ingenio est situm.

5. *Theodectes.*

Indigna laude est illa nobilitas mihi,
Quæ nacta non est vindices laudis suæ.

6. *Epicharmus.*

Ah enecas me, mater. Ne toties genus
Commemora, quæso. Nam qui naturæ bonis
Propriam desperant indipisci gloriam,
Isthuc confugiunt: repetunt majorum suûm
Monumenta; quot sunt stirpitus numerant avos.
Enimvero hominem nuncupassis neminem,
Avi quoi non sint. Nam unde prognati forent?
At qui censere hos nequeant mutatum ob solum
Generisve internecionem et solitudinem,
Eone ignobiliores sint censentibus?
Quicunque ad recta fertur proclivi indole,
Nobilis est, mater, sit quantumvis Æthiops.
Scytham exsecramur? nonne et Anacharsis Scytha?

7. *Euripides Alexandro.*

Bonis adhæret vera nobilitas: malos
A se relegat.

8. *Idem Ino.*

[c] Parcamus ortis inclita ex propagine:
Et exsecremur ut merentur improbos.

9. *Idem Melanippa.*

Habenda quo sit alta nobilitas loco
Nequeo videre. Nam quibus mens est pia
Animusque fortis, sint licet servis sati,
Vincunt tumentes nominis vani sono.

10. *Menander Cnidia.*

Quo quis sit genere, nîl ego referre arbitror.

[c] Refer ad Tit. LXXXVIII.

Quod si rem potius spectes quam vocis sonum,
Legitimus est frugi omnis, et nequam nothus.

11. *Euripides Ægeo.*

Non nobilitas tanti est, quanti
Vivere recte.

12. *Sophocles Tereo.*

Matre editos ac patre communis fovet
Lux obstetricatu suo:
Nec natus alter altero excellentior,
Sed hos atroci verbere
Fortuna sævum tractat: illis in sinum
Effundit immensas opes:
Sunt servitutis quos sub immiti jugo
Pressos tenet necessitas.

TITULUS LXXXVII.

NON SEMPER LIBEROS RESPONDERE BONIS AC GENEROSIS PARENTIBUS.

1. *Euripides Antigona.*

Prolem parentum quod ferunt mores sequi,
Falsum revincit sæpe natorum indoles.

2. *Phocylides.*

Hoc quoque Phocylidæ: pars maxima nobilitatis
Nil aut consilio pollent, aut voce diserta.

3. *Sophocles Tyro.*

Tanto grege in mortalium,
Non semper e vili satu
Enascitur mens degener:
Non semper e propagine
Boni creantur nobili.
Nil usque constans: sed vagæ
Sunt rebus humanis vices.

4. *Epicharmus.*

Ah enecas me, mater. Ne toties genus
Commemora, quæso. Nam qui naturæ bonis
Propriam desperant indipisci gloriam,
Isthuc confugiunt: repetunt majorum suûm
Monumenta; quot sunt stirpitus numerant avos.
Enimvero hominem nuncupassis neminem,
Avi quoi non sint. Nam unde prognati forent?
At qui censere hos nequeant mutatum ob solum
Generisve internecionem et solitudinem,
Eone ignobiliores sint censentibus?

5. *Euripides Meleagro.*

Duo sunt, parari merce quæ nulla queunt,
Probitas et animus fortis. Ignavo quoque
Ex semine oritur sæpe generosus puer.

6. *Sophocles Ajace.*

Non obstupescam si quid olim in posterum
Ignobilem ortu videro delinquere,
Quando hi, videntur sorte qui natalium
Præstare, fando talia admittunt mala.

7. *Epicharmus.*

[d] Nulla est in orbe certa terrarum plaga,
Quæ gignat omnes aut probos aut improbos.

8. *Euripides.*

Sua est hominibus indoles pro patria.

9. *Idem Electra.*

At nobiles sunt nempe. Sed fallax nota est:
Multi bono ortu non bonis sunt moribus.

10. *Ibidem.*

Vidi inclito ex genitore nullius pretî
Prolem, et parentis improbi sobolem probam.

11. *Homerus Odyssea.*

Rarus quisque patre est melior, pars plurima pejor.

[d] Refer ad Tit. XXXIX.

TITULUS LXXXVIII.

NOBILES ESSE QUI PARENTIBUS PROBIS POTENTIBUS AUT CLARIS NATI SUNT.

1. *Euripides.*

Avita quamvis nos reliquerunt bona,
At celsus animus et decus gentis manent.

2. *Idem Temenisi.*

Proh quanta res est, quam valens ad gratiam,
Claro parente ducere excelsum genus:
Nam qui bonis est natus, in re paupere
Retinet honorem, et decoris antiqui memor
Sese ipse contra tela fortunæ erigit.

3. *Idem Archelao.*

Effare nostri si quid auxilii indiges:
Nam signa præbes genere prognati bono.

Ib. *Ibidem.*

Nec illi spiritus celsos patris
Rapuit calamitas.

4. *Ibidem.*

Pars magna belli est, inclitis majoribus
Satus imperator, fama quem celebrat bona.

5. *Ibidem.*

Virtus parentum sequitur hæredes suos:
Plus dote magna nobilis conjunx valet.

6. *Idem Hecuba.*

Egregia, si qua est genere in humano, nota est,
Bonis creari: claritudo nominis
Sublime tollit nomini claro pares.

7. *Idem Heraclidis.*

Nîl tam decorum liberis, quam sanguinem
Bono ex parente ducere et jungi bonis
Connubiali fœdere. Haud culpa vacat

Amore victus qui malis se fœderat,
Sui relinquens posteris probri notam.
Vincit facilius dura lux natalium
Quam vilis ortus: pressa tam gravibus malis
Tamen ecce amicos nostra nobilitas habet.

8. *Idem.*

Novi parentem qui optimarum partium,
Pietate prisca, moribus sanctis fuit.
Qui posset isto filius nasci malus
Genitore? nemo est qui mihi id persuaserit.

9. *Euripides Ino.*

Spem fore ut regni sola
Olim capessant alta nobilitas facit.

10. *Ibidem.*

Proli creandæ conjuges multi parant
Forma invenusta, nobili propagine,
Clarosque honores ante divitias habent.

11. *Sophocles Alete.*

Si vera fatus nobilem te prædicas,
Proloquere quis sis, qua domo. Nam pollui
Sermone nullo celsa nobilitas potest.

14. *Theognis.*

Nobilitas asinis et equis simul arietibusque
Dat pretium: nec de semine degeneri
Admissura placet. Sed pravæ e sanguine pravo
Si dos sit, præsto est optima conditio:
Nec dedignatur ditemque malumque maritum
Fœmina: divitiæ præ probitate placent.
In pretio pretium est: genus et prænobile vili,
Obscurum claro, miscet avaritia.

TITULUS LXXXIX.

QUALEM OPORTEAT ESSE NOBILEM.

1. *Menander.*

Bene educatos et honesto natos loco
Famam curare in rebus adversis decet.

2. *Euripides Helena.*

Impende munus hoc mihi, ut vitam boni
Imitere patris. Maximum id proli decus,
De gente clara si trahens exordium
Mores parentum moribus referat suis.

5. *Menander Tutoribus.*

Illiberale est contumeliam pati:
Dolorem ferre natura hominum nos jubet.

6. *Idem.*

Indigna est homine nato libero
Voluptas quæ fert secum contumeliam.

7. *Idem Heroe.*

Bonum virum esse decuit nobilissimum.
Ingenuos animi semper generosi addecent.

8. *Sophocles Alete.*

Clementer es locutus, atque ut te decet.
Nam specimen edens clara nobilitas sui
Vanis relictis solida sectatur bona.

9. *Euripides Inone.*

Quæ scire par est nobilem, didici omnia:
Cum res jubet tacere, cum tutum est loqui,
Quæ fas videre, nec videre quæ nefas:
Ventri imperare. Quamlibet pressum malis
Cor disciplinas liberales imbibit.

TITULUS XC.

DE IGNOBILITATE.

1. *Euripides Antigona.*

Paternus illi morbus insipientia est:
Quippe ex malis plerumque generantur mali.

2. *Idem Alcmæone.*

Fili Creontis, quam vetus sententia
Est vera, fortes procreari fortibus,
Maloque ab ortu proseri sobolem malam.

3. *Idem.*

Nunquam id valebit educandi industria,
Ut qui malis est genitus evadat bonus.

4. *Idem Hercule Furente.*

Ni jacta recte prima sunt fundamina
Gentis, miseriæ posteros certæ manent.

5. *Idem Dictye.*

Quam vera vetus est, proh dolor, sententia:
Malo parente non seri sobolem bonam!

6. *Idem Phœnice.*

Invicta res natura. Nec quisquam malum
Bene educando vertet in mores bonos.

7. *Idem Peleo.*

Nulla inter homines tanta vis caliginis,
Speculumve nigror, quo suum ingenium clepat
Vir pravus ortu, sapiat immensum licet.

8. *Epicharmus.*

Dispereo, quoties nobilitatem sanguinis
Jactare quispiam audet vita ignobilis.
Nam cæcus quid cum speculo habet commercii?

9. *Ecdorus.*

Deformis ore, vultu inominabili,
Fœdus videri, fœdus æque es moribus.
Natura mater ex malo gignit malum.

Ita vipera edit viperam partu suo.

10. *Euripides Bellerophonte.*

Nec vulnus ullum verberans inflexeris
Junco palustri: nec malæ matris genus
Librabit hastæ pondus intrepida manu.

11. *Idem Hippolyto Coronato.*

[e] Nam celsa quamvis pectora infringit dolor,
Quoties parentum calamitates cogitant:
Unum sed aiunt esse par vitæ bonum,
Cum rectus animus nîl sibi conscit mali.
Ingenia sed perversa rimatrix dies
Detexit, instar virginis speculum admovens.

[f] TITULUS XCI.

LAUS DIVITIARUM.

1. *Theognis.*

Non ego te miror laudari, Plute, Deorum
Ante alios: culpam cum patiantur opes.

2. *Idem.*

Omnis enim posita est in sensu divite virtus.
Ultra si quid habes, utilitate caret.
Moribus antiquis quamvis superes Rhadamanthum:
Nec sapiat præ te Sisyphus Æolides.
At rectum fuerat solos ditescere justos:
Paupertas vitiis debuit esse comes.

3. *Euripides Phœnissis.*

Utcunque nota est dictio, effabor tamen:
Opes opimæ summam honestitudinem
Summamque vim res inter humanas habent.

4. *Idem Bellerophonte.*

Pecunia ingens generis humani bonum,

[e] Refer ad Tit. LXXXIX. [f] Quædam in hoc Titulo ad divitias quidem, sed non ad laudem divitiarum pertinent.

Cui non voluptas matris aut blandæ potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores cælitum atque hominum movet.

5. *Menander Piscatore.*

Pecunia homines gratiosos efficit.

6. *Euripides Electra.*

Hæc cuncta cum rationis ad normam puto,
Tum quanta vis sit cogito pecuniæ:
Ut des amicis: corpus ut morbis grave
Sumtu reficias. Nam quod ad victum attinet,
Nîl pæne refert. Quippe satiati cibo
Ditesque pauperesque tantumdem ferunt.

7. *Idem Cressis.*

Experior equidem quam sit hoc verum nimis,
Omnes amicos esse nunc locupletibus.

8. *Idem Polyide.*

Non tantum opum vis ad voluptates valet,
Dulcesque ad epulas Liberique ad pocula,
Sed calamitati grande subsidium ferunt.

9. *Menander Supposititio.*

Unæ obnubilant
Ignobilitatem et mores illaudabiles,
Et si quid aliud hominibus vitio datur,
Divitiæ. Ab his quod nudum est in culpam venit.

10. *Theognis.*

Hunc omnes animo sensum deponere debent,
Omnia prævalidis cedere divitiis.

11. *Chæremon.*

Si comparetur eximiis honoribus
Pecuniæ vis, lumen amittit suum,
Per se magnifica: quippe pollens gratia,
Vitamque mulcens mutuo commercio.

12. *Euripides Phœnice.*

O copia auri, facile onus gestantibus.

13. *Philemon Ala.*

Tun' almum credis esse cornu copiæ,
Quale effigiant pictores cornu bubulum?
Imo est argentum. Quod tu si habeas, dixeris
Ei quid cupias, omnia extemplo affluent,
Testes, amici, socii, contubernia.

14. *Antiphanes.*

Nugæ meræ sunt, alia si auro compares,
Ut cui stat incorruptus naturæ vigor
Idemque vultus: cum mores sodalium
Fortuna pingat formis discoloribus.

Ib. *Idem.*

Exploratrices ingeniorum sunt opes:
Nam qui secundis rebus vivit turpiter,
Quid pressum paupertate facturum putas?

15. *Timocles.*

Pecunia anima et sanguis est mortalibus:
Quam qui nec habet, nec habendi rationem invenit,
Is inter vivos vita cassus ambulat.

16. *Euripides Archelao.*

Quis non bonum se præstet in re prospera?

17. *Diphilus.*

Pecuniam omnium arbitror validissimum,
Quæ conficit res et diffringit quaslibet.

18. *Euripides Archelao.*

Reddas caveto divitem. Morem gerit
Melius egestas. Spiritus faciunt opes:
Quas qui est adeptus nobilem se existimat.

19. *Menander Bœota.*

Mire divitiæ sunt vitiis obtentui.

20. *Euripides Andromeda.*

Ante omnia aurum laribus exoptem meis.

Fortuna dives addit et servis decus:
At libero inopi nulla vis aut gratia est.
[g] Hoc te beatum crede quod rem possides.

21. *Idem Æolo.*

Ne decora gentis, per Deos oro, pater,
Mihi usque jactes. Omne id in nummis situm est
Quos turbo versat. Hic habet: deest alteri:
Promiscua est sors ista: sed cujus domo
Longissime hæret, nobilem hunc omnes vocant.

22. *Idem Erechtheo.*

Fac aliquid habeas. Inde nobilitas venit
Et nuptiarum copia optimatium.
At pauper, adsit quamlibet sapientia,
Expers honoris nomen habet inglorium.

23. *Idem Hecuba.*

At nonne cernis inclita stirpe editos
Si pauperescunt claritatem amittere:
At ante, viles rebus augescentibus,
Opulentitate comparare gloriam
Per liberûm conjugia et innexas domos?
Deinde cuncti non probis sed ditibus
Donare malunt, quam probis et egentibus.
Dites beati: pauperum infelix genus.

24. *Idem Palamede.*

Quodcunque fortunæ aliud, Agamemnon, datur,
Habet querelam: sed in opes solas coit
Genus omne laudum: tum quibus Musæ placent,
Tum cura quibus est alia, nummo omnes student.
Quo plus habet quis hoc habetur doctior.

25. *Hesiodus Operibus.*

Argentum miseris mortalibus altera vita est.

26. *Theognis.*

Hæc duo fine carent, sapere et ditescere. Nam nec

[g] Refer ad Tit. LXXXVI.

Humana expleris pectora divitiis;
[h] Nec sapiens animus sapiendi vota relinquit,
Aut se doctrinis exsatiare potest.

27. *Sophocles Aleadis.*

Divitiæ amicos comparant mortalibus:
Exin decus famamque: tum facto gradu
Ad celsa tendunt imperî fastigia:
Nec invenitur oderit qui divitem,
Aut si quis odit odia dissimulat tamen.
Per invia atque pervia ex æquo invenit
Qua penetret aurum. Pauper ut sit maxime
Felix, potiri vota quit nunquam sua.
At ore fœdos, nomine aspernabiles,
Pulchros, disertos, inclitos nummus facit.
Tum facile dives gaudet aut morbo cubat,
Utcunque res fert, et sua occultat mala.

28. *Idem Creusa.*

Mirum haud putato tanta quod lucri tenet
Me, rex, cupido. Nam quibus vitæ retro
Est longa series, tamen inexhausta siti
Lucrum expetiscunt. Cuncta mortales habent
Opibus secunda. Sanitas multis boni
Est summa. Pauper at nequit me judice
Recte valere: sonticum hoc adeo est malum.

29. *Menander.*

Epicharmus istos prædicat nobis Deos,
Aquam, ignem, solem, spiritum, stellas, humum.
Ego vero Deos opiferos atque præstites
Aurum atque argentum nobis esse intelligo.
His dedicassis rite si tuam domum,
Optato quodvis præmium, optatum feres:
Agros, domus, familiam, vasa argentea,

[h] Refer ad Tit. LXXXI.

Testes, amicos, judices. Tu da modo,
Ipsos habebis in ministerio Deos.

[i] TITULUS XCII.

QUANTUM DIVITIÆ VALEANT PROPTER VULGI IMPERITIAM.

1. *Euripides Alcmena.*

Contendere opibus clara nobilitas nequit:
Namque infimos ad summa divitiæ vehunt.

2. *Idem Erechtheo.*

Fac aliquid habeas: inde nobilitas venit,
Et nuptiarum copia optimatium:
At pauper, adsit quamlibet sapientia,
Expers honoris nomen habet inglorium.

3. *Idem Thyeste.*

Haud facile pauper nuptias invenerit.
Nam celsa gentis decora qui laudant, tamen
Opulentiores potius affines legunt.

4. *Idem Pelopisi.*

Donare nemo jam solet nisi diviti.

5. *Idem Cressis.*

Opulenti amicos, quos volunt, omnes habent,
Accedit opibus more non laudabili
Sapientiæ quoque fama. Nam quos evehit
Fortuna, eosdem credimus scire omnia.

6. *Idem Hecuba.*

At nonne cernis inclita stirpe editos,
Si pauperescunt claritatem amittere:
At ante viles rebus augescentibus
Opulentitate comparare gloriam
Per liberûm conjugia et innexas domos?

[i] Poterat conjungi cum Tit. XCI.

Deinde cuncti non probis sed ditibus
Donare malunt quam probis et egentibus.
Dites beati: pauperum infelix genus.

7. *Idem Eurystheo.*

Nunc qui domum habitat divite instructam penu,
Summis adæquat hunc malorum factio.
Habemus omnes facta post pecunias.

8. *Menander.*

[k] Immodicæ divitiæ, potestate addita,
Dementant hominem quamvis sapientissimum.

9. *Theognis.*

Divitibus multis cor abest. Quibus arcta domi res,
Sæpe animum claris artibus adjiciunt.
Vanus utrinque labor. Namque hos extundere magna
Paupertas, illos non sinit ingenium.

TITULUS XCIII.

VITUPERIUM DIVITIARUM.

1. *Menander. Al. Antiphanis.*

Esto animus dives. Nam divitiæ cæteræ
Pascendis oculis vitæ sunt choragium.

2. *Euripides Phaëthonte.*

Res misera, verum propria divitibus tamen,
Bona carere mente. Quid causæ rear?
An cæca quoniam diva largitrix opum
Cæcas alumnis efficit mentes suis?

3. *Idem Hippolyto.*

Aut parcitas aut fastus est opibus comes.

4. *Idem Ione.*

Nunc ite: honorum decora captate improbi,
Venaticoque more rem conquirite,

[k] Refer ad Tit. XCIII.

Fas æstimantes et nefas promiscue:
Ut vos metenda cladium exspectet seges.

5. *Idem Medea.*

Ne vita mihi sit splendide miserabilis,
Nec opes opimæ quæ meum cor mordeant.

6. *Idem Dictye.*

Nunquam malus sim victus a pecunia:
Sed nec malorum me illigem commercio.

7. *Idem.*

A. Non hæc, sed auri trahere vis te debuit.
B. Turpe, esse ditem, scire præterea nihil.

9. *Euripides Æolo.*

Laudare Plutum parce. Non veneror Deum,
Qui pessimorum sæpe fit possessio.

10. *Idem Peleo.*

Opulentitatem nullius pretii puto,
Quam facile fingit, facilius delet Deus.

11. *Carcinus.*

Quanquam miseriis est ferax pecunia,
Tamen acre hominibus excitat studium sui.

12. *Euripides Archelao.*

Es dives: at iners res et ignava est opes.

13. *Idem Antigona.*

Opulens amicus, cui deest sapientia,
Virtus nisi adsit, usui nulli est bono.

14. *Idem Alexandro.*

Divitiæ iniqua multa meditari solent.

15. *Idem Alcmena.*

Odiosa res est imperita opulentitas.

16. *Idem.*

Mala multa hominibus parere divitiæ solent.

17. *Idem Plisthene.*

O copia auri, facile onus gestantibus:
Sed cura te comitatur et durus labor:

Adeo a dolore nulla pars vitæ vacat.

18. *Idem Phœnissis.*

Cerno: verum ignava, vitæ parca, res opulentia est.

19. *Idem Telepho.*

Tenui paratu vivere equidem mavelim,
Quam possidere divitem ægrimoniam.

20. *Antiphanes.*

Nunquam beatum credidi, quantumlibet
Opulentum, qui re parta nesciret frui.

Ib. *Idem.*

At nos divitiæ, mos ut est medicis malis,
Cæcos efficiunt cum oculatos acceperint.

21. *Menander Se lugente.*

Cæca res pecunia est:
Quique aciem in se defigunt, hos cæcos facit.

22. *Idem.*

Delitiæ nimiæ pariunt insolentiam,
Pecuniæque dominum trajiciunt suum
In mores alios quam quos induerat prius.

23. *Naumachius.*

Argentum atque aurum nihil est nisi gleba. Lapilli
Quisquiliæ et fluctus sunt purgamenta marini,
Qualia flumineæ sunt multa in margine ripæ.
At, qua lana rubet, sanies de murice fluxit.

TITULUS XCIV.

PECUNIAS JUSTE ET CUM MODO COMPARATAS, INNOXIAS: ET DIVITIAS IN RERUM MEDIARUM ESSE NUMERO.

1. *Euripides Melanippa.*

O Nate, multis convenit mortalibus
Moderata rerum copia: at moles nocet.

2. *Idem Phryxo.*

Res modica melior, testis innocentiæ,
Quam culmen altum per nefas auctæ domus.

3. *Idem Cresphonte.*

Ea semper homines lucra sectari decet,
Nullos dolores pone quæ secum trahant.

Ib. *Idem.*

Nunquam malus sim victus a pecunia:
Sed nec malorum me illigem commercio.

4. *Idem Erechtheo.*

Iniqua sperne lucra, mansuros diu
Si vis penates struere. Res parta improbe,
Salutis expers, prona ad exitium ruit.

5. *Idem Electra.*

Fortuna non bene parta, sociata improbis,
Utenda parvum in tempus, extemplo avolat.

6. *Idem Inone.*

Sine labe parta fac probe custodias,
Parceque rem tuteris. Id justos decet.
At nauta cupidus, antea felix satis,
Dum plura quærit, quod tenebat perdidit.

7. *Menander Circulatore.*

Felix, qui mentem cum divitiis possidet:
Namque is scit opibus uti recte atque ordine.
Divitias ferre disce: pars sapientiæ est:
Quia multis pariunt magnam inhonestitudinem.

8. *Sophocles Aleadis.*

Divitiæ amicos comparant mortalibus.

9. *Euripides Phœnissis.*

Non possidemus propria mortales bona;
Sed jus Deorum, nostra dispensatio est:
Et commodata cum libet repetunt Dei.

10. *Idem Erechtheo.*

Decora res est, arte quæ laudabili,

Non vi, paratur. Non habent solidam diu
Male parta sedem.

11. *Menander.*

Clam pauca habere satius, invidia procul,
Quam divitiarum ostentu parere infamiam.

[1] TITULUS XCV.

PAUPERTATIS LAUS.

1. *Antiphanes.*

Se præter unam cætera edulcat fames.

Ib. *Incertus.*

Paupertas moris est magisterium boni.

2. *Menander Fidicine.*

Adeon' te excruciat, quod malorum est omnium
Levissimum, paupertas? quantillum est enim,
Amicus unus cui medendo sufficit?

3. *Diphilus.*

Paupertino homine nihil est fortunatius:
Nam solus in deterius non metuit vices.

4. *Menander Leucadia.*

Deorum cura pauperes credi solent.

5. *Euripides Phœnissis.*

Animo modesto quod sat est, semper sat est.

6. *Menander.*

Inhoneste est pauper quem paupertatis pudet.

7. *Euripides Polyido.*

Es dives: at scis præter hoc unum nihil.
Id adesse vitium quippe divitiis solet:
Magis malo coacta paupertas sapit.

8. *Alexis.*

Divitias crede bonorum postremissimum:

[1] Valde cohæret cum Tit. XCIII.

Possessionum nulla est inconstantior:
Namque alia utcunque dominis fida mantitant.

15. *Archytas.*

[m] Usus cuncta docet. Quid non invenerit usus?

Ib. *Idem.*

Ignota inveniunt, emendant cognita curæ.

21. *Theognis.*

Occîdit plures satias, quam tristis egestas.

[n] TITULUS XCVI.

PAUPERTATIS VITUPERIUM.

1. *Euripides Bellerophonte.*

At quisquis ortum stirpe generosa trahens
Re vivit arcta, quo satu est felicior,
Hoc gravius illum dura paupertas premit,
Victum parare dum manu prohibet pudor.

2. *Idem Electra.*

Peccare egestas sæpe nolentes docet.

3. *Idem Archelao.*

Nondum nobis vada vasta datur
Superare; manet fera paupertas,
Immite malum; sors læta fugit.

4. *Ibidem.*

Inopia templum non habet, turpis Dea.
Nam valde ego illos sperno, qui sapiunt quidem,
Sed sola sapiunt ad lucra, ulterius nihil.

5. *Menander Gorgia.*

Gorgia, homo pauper res est fastidibilis:
Namque ut loquatur ea quæ sunt justissima,
Tamen loqui censetur quæsti gratia.

[m] Refer ad Tit. LX. [n] Valde cohæret cum Tit. XCI. Sed quædam heic de paupertate magis dicuntur quam in vituperium paupertatis.

Tritis lacernis qui advenit, statim audiet
Calumniator, ipse sit læsus licet.

6. *Philemon.*

Homo pauper qui vult vivere, fœde vivere
Vult: nam paupertas ad delinquendum incita est.

8. *Incertus.*

Homo pauper solitudo et vastities mera est.

9. *Diphilus.*

Impietas, quoties est egestati comes,
Evertit vitam summis a radicibus.

10. *Sophocles.*

Inopia morbus est laboranti gravis.

Ib. *Incertus.*

Penuria hostis nullus est infestior.

11. *Menander.*

Mens timida semper pauperi est: atque omnibus
Se suspicatur esse despicatui.
At quorum res sunt, Lampria, meliusculæ,
Animo obstinatiore perdurant mala.

12. *Callimachus.*

Largitur parvis non nisi parva Deus.

13. *Crantor.*

Paupertas pestis pessima est mortalibus:
Nam cum quis animi gestat excelsi indolem,
Hunc ipsum egestas sola ridiculum facit.

14. *Theognis.*

Cur humeris innixa meis, o turpis egestas,
Dedecoras corpus, dedecoras animum:
Meque reluctantem trahis ad deformia multa,
Qui tot res pulchras atque bonas didici?
Nam cui paupertas est addita, nil facere audet,
Nil fari: linguam vincula sæva premunt.

15. *Idem.*

Cyrne, cave iratus ne cuiquam incommoda sortis,

Aut paupertatis durum onus objicias.
Juppiter huc illuc divergit pondera lancis :
Nunc dat divitias, nunc dat habere nihil.

Ib. *Idem.*

Cyrne, per et terras, et per vada cærula ponti
Paupertas quavis est fugienda via.

16. *Idem.*

Pauperiem ut fugias, tentanda vel aspera montis
Sunt juga, piscosi vel vada salsa maris.

17. *Alcæus.*

Durum pauperies malum,
Inertia quæ cum sorore
Sæpe domat populos feroces.

18. *Hesiodus Operibus.*

Ne cui pauperiem mortalia corda domantem
Objectes, quando dono datur illa Deorum.

19. *Aristophon Babia.*

A. Venturam apparet tempestatem. *B.* Scilicet
Scæva ominatur semper lumen pauperum.

20. *Menander Plocio.*

Habitare quisquis astu pauper eligit,
Augere sibi tristitiam et dividiam cupit.
Nam quoties alium spectat in molli otio
Potentem, factiosum, viventem facul,
Quam misere ipse ævum degat, tum demum videt.

Ib. *Incertus.*

Malo consilio commigravit huc herus.
Nam ruri donec victitabat, calamitas
Non tam conspicua fuit ac despicabilis,
Sibi mantellum faciens solitudinem.

21. *Aristophon Deposito.*

Turpe est pauperiem comitans imbecillitas.

22. *Timocles.*

Nam multos sæpe jam paupertas impulit

Indigna et præter indolem committere.

23. *Aristophon.*

Nox ferre malorum pausam pauperibus solet:
Nam parte ab omni obumbrat illorum mala.

TITULUS XCVII.

° COMPARATIO PAUPERTATIS ET DIVITIARUM.

1. *Antiphanes.*

Sis pauper honeste potius quam dives male:
Namque hoc fert crimen, illud misericordiam.

2. *Menander.*

Habere est satius, si quis rem recte putet,
Pauca animo læto, quam multa illætabili.
Paupertas secura opibus præstat anxiis.

3. *Euripides Alexandro.*

Consilia nunquam animosa suppeditant opes:
Nec auctor esse luxus audendi solet.
At contra egestas, triste; sed prolem educat
Patientiæ majoris atque audaciæ.

4. *Idem Electra.*

Nemo est amicos pauperes sibi qui legat.

5. *Incertus.*

Clari quidem sunt genere, sed re pauperes:
Quo nempe vitio celsa nobilitas perit.

6. *Crantor.*

Quod usui est, id omnes prudentes facit,
Atque in eo solo posita est vis sapientiæ.

7. *Theognis.*

Non est ille magis dives, cui copia multa
Argenti atque auri est, plenaque farre seges,
Muli et cornipedes; quam si quis nîl habet, extra

° Valde cohæret cum Tit. XCIV.

Quod ventri satis est et lateri et pedibus,
Deliciasque tori. Nam cum maturuit ætas,
Et vita in medio florida curriculo est,
Has solas homo sentit opes. Quæcunque supersunt
Nil horum ad Stygias nos comitatur aquas.
Nec mors muneribus, nec morbi cedere norunt,
Nec serpens tremulo curva senecta pede.

8. *Antiphanes Adolescentibus.*

Divitiæ multis sunt integumentum malis,
O mater: at conspicua et despicabilis
Res est paupertas.

9. *Theognis.*

Multorum res arcta domi virtutibus obstat:
Multi in divitiis tegmen habent vitiis.

10. *Critias.*

Sapiente paupertate divitias rudes
Habere satius contubernales domi.

11. *Euripides Telepho.*

Tenui paratu vivere equidem mavelim,
Quam possidere divitem ægrimoniam.

12. *Ananius.*

Homines duosve tresve si domo claudas,
Aurique pondus, atque pauculas ficus;
Quid ficus auro præstet, illico cernes.

13. *Menander Fidicine.*

Ego autumabam divites, o Phania,
In ære vivunt qui suo, nec noctibus
Suspiria agere, nec sus deque vortier,
Nec dicere eheu: sed tranquilla molliter
Frui quiete. Illa esse pauperum mala.
At nunc vos video, quos beatos prædicant,
Vitam cum nostra vivere æquiparabilem.

14. *Euripides Danae.*

Plerique plenum judicant sapientia

Quicquid profantur divites. Si quid loqui
Vir pauper audet gente proletaria,
Rident; ego autem pauperes locupletibus
Plerumque sapere rectius re comperi:
Illisque salsa qui Deos placant mola,
Minus pios hos esse qui mactant bovem.

15. *Theognis.*

Nondum in pauperie quod summum evasimus: unde
  Cor mœret trepidis sollicitudinibus.
Pauper ubique jacet. Ditem sectantur honores,
  Quodque adeo mirum est omnibus ista placent.

16. *Euripides Bellerophonte.*

Ego ex vetusta nobili sententia
Mortalibus primum esse non nasci puto.
At sortium cui de tribus victoriam
Addico? nam sunt divites: sunt pauperes:
Sunt genere clari: triplicem heic classem vides.
Vir dives, ortu sequiori prosatus
Dolet, dolet profecto, sed pulchre dolet,
Opum recludens dulce conditorium:
Verum inde provolutus, irato Deo
Tanto ruina tristiore affligitur.
At quisquis ortum stirpe generosa trahens
Re vivit arcta, quo satu est felicior,
Hoc gravius illum dura paupertas premit,
Victum parare dum manu prohibet pudor.
At ultimæ qui sortis assidue est miser,
Hoc vincit alios, se quod orbatum bonis
Non sentit, usque assuetus infortunio.
Meliora nunquam scîsse, tanto est tutius.
Nam semper illud hæret: ah! qualis fui,
Quantusque fatis usus olim prosperis!

17. *Incertus.*

[p] Mihi, si pater sapuisset, ingenium foret

[p] Refer ad Tit. V.

Ita temperatum musicis concentibus,
Læta ut valeret duraque ex æquo pati.
Primum, quod homines inter usus maximi est,
Essem expeditus, ventre non farto nimis:
Aquam juvaret bibere, qui mos est feris,
Hyemem labore pellere: æstivos pati
Solis calores, corpore haud umbratico.
Nunc ista ferre insolitus, ignarus, tamen
En ferre cogor. Thressa si vatis fides
Carmen sonaret et Novensiles Deæ,
Non venter ista audiret; esca illi est opus.

18. *Philemon.*

[q] Ego mediusfidius arbitrabar, Sosia,
Solos egenos vivere in mœroribus
Et tristitate; at contra, vitam divitum
Leporis esse plenam atque hilaritudinis.
Nunc differitatem video solam atque unicam
Quotidiano in sumtu et dimenso sitam:
At plus habere tædii qui plus habent.

19. *Idem.*

[r] Incommoditates multas divitiæ adferunt.
Suboritur odium, invidia, contumelia,
Negotiorum tædiosorum seges,
Et unda rerum, et victus aggeratio.
Res agere semper solitus, animam mox agit,
Opes fruendas linquens hæredi suo.
Quare me potius pauperem dici juvat,
Et pauca habere et non sollicitum vivere,
Nec divitiis onustum nec negotiis.
Nam multa mala compendifaciunt pauperes.

[q] Refer ad Tit. XCIII. [r] Eodem.

[s] TITULUS XCVIII.

DE VITA, ET BREVEM EAM ET VILEM ET CURIS PLENAM.

1. *Sophocles.*

O misera, vere misera, sors mortalium.
Nam præter umbras quid sumus vel pondera
Ignava, palabunda tellurem super?

2. *Idem Ajace.*

Nam video nîl nos esse mortales, nisi
Imaginosa somnia aut umbram levem.

3. *Philemon.*

Ita comparatum est in vita mortalium,
Minus ut boni sit, mulier, plus incommodi.

4. *Euripides Meleagro.*

[t] Nemo obligare mortuus vivos potest.
Qui cinis et umbra est, et nihil, curat nihil.

5. *Philemon.*

Here, tute homo cum sis natus, fieri non pote,
Homo ne sis. Frustra est ista lamentatio.
Necesse est habeat multa, qui vivit, mala.

6. *Diphilus.*

Homo sum: quæ nobis causa longe maxima est
Cur vita nunquam vacet a mœstitudine.

7. *Menander.*

Homo: ista causa ad calamitates est satis.

8. *Idem.*

Hominibus alia quotquot sunt animantia
Tum sunt beatiora, tum sapiunt magis.
Principio, sodes, asinum specta istum mihi.
Is est infelix extra controversiam:

[s] Multa sunt connexa cum Tit. CV. et CVIII. [t] Refer ad Tit. CXXIV.

At nulla propriæ accepta culpæ fert mala;
Sed quæ natura injunxit, his defungitur.
Nos vero, præter ea quæ fert necessitas,
Ipsi alia nostra sponte super accersimus.
Dolemus ubi quis sternuit: convitium
Quis dixit, indignamur: vidit somnium,
Metuimus: ululat noctua, exhorrescimus.
Leges, honores, ambitus, certatio,
Mala hæc adscita nobis sunt, non adsita.

9. *Sotades.*

Mundus genitor cunctiparens, satorque rerum,
Causas hominum non bene novit arbitrari.
Sunt per sola terræ mala, semper et fuere,
Multisque malis undique gaudet universum.
Res eximias queîs fuit invenire cordi,
Sive ingenii laus foret illa, sive dextræ,
Omnes malus hos cernitur exitus secutus:
Idque omne malum fluxerat a parente Mundo.
Mundo sapiens judice Socrates putatus,
Mundo sapiens judice Socrates necatur,
Jussus bibere in carcere poculum cicutæ.
Crudi polypi Diogenes peremtus esu:
Testudine cum scriberet Æschylus cadente.
Glutito acino strangulat uva te, Sophocles:
Te Euripides in Thrace solo canes vorarunt.
Atra abstulit egregium fames Homerum.

10. *Idem.*

Justus, bonus atque ingenio valens, beatus,
Partem invidiæ et criminis ut ferat necesse est.
Est quis locuples? labe aliqua tenetur idem.
Verum pius est? pauperies adhæret illi.
Magno mala sors artifici solet nocere.
Justi retinens sit licet integerque judex,
Natura tamen postulat ut malus vocetur.

Florens opibus præcipitem timet ruinam.
Huic qui veges est corpore, morbus est cavendus.
Secura dies unica deputanda lucro est.
Nam quid, rogo, qua materia sumus creati?
De te facito judicium tuaque vita:
Quid sis genitus, prosatus unde, quid futurus.

11. *Menander.*

Vita hominum cæca est plenaque infortuniis.

12. *Euphron Geminis.*

Cum tam breve ævum tribuas nobis, Juppiter,
Cur sine dolore hoc non permittis degere?

13. *Mimnermus.*

Nos foliis similes quæ gignit purpureum ver,
Cum sol se primum candidus exseruit,
Heu non mansuro gaudentes flore juventæ
Ludimus, edocti nec bona per superos
Nec mala. Circunstant geminæ, fera numina, Parcæ:
Altera fert ævi triste senilis onus,
Altera fert mortem; nec durat longius ætas
Quam sol qui subitis spargit humum radiis.
At postquam rosei defluxit temporis hora,
Nil magis optandum quam cito posse mori.
Hinc atque hinc animum mordent mala: sæpe laborat
Res laris, incumbit squallida pauperies.
Est et qui sobolem votis sitientibus usque
Optat, ad infernas orbus iturus aquas.
Morbus adest aliis animum quoque: denique nullus
Est hominum, cui non det mala multa Deus.

14. *Philemon.*

O fortunatas vere animantes cæteras,
Quas nulla cura mordet rerum ejusmodi:
Non crimen metuunt, non impingunt alteri,
Nec defatigant se malis accersitis:
Sed quam unaquæque secum naturam attulit,

Hanc solam legem novit, huic se attemperat.
At homines miseri vitam invitam ducimus,
Opinionum servi inventis legibus.
Malum majores nequeunt, nequeunt posteri
Effugere. Præsto semper est causatio.

15. *Simonides.*

Nam nec veteris soboles ævi,
Gens semideûm generata Deis,
Absque periclis, absque labore,
Pede tranquillo, senii metam
Tetigere sui.

16. *Idem.*

O nate, metas Juppiter rerum omnium
Habet penes se, quoque vult figit loco.
Mens nulla nobis. Victitamus in diem
Ultro citroque cursitantes, inscii
Quem cuique finem destinet rector Deus.
Omnes inani spes fovet fiducia
Nil promoventes. Alter exspectat diem
Venire, longas alter annorum vices:
Nec est, futurum qui sibi non spondeat
Janum faventem copia et pecuniis.
Sed vota nondum consecutos occupat
Tristis senectus, acris aut morbi lues
Consumit artus, sævus aut Martis furor
Mittit peremptos sub domum Plutoniam.
Aut dum procellæ vortices vi suscitant,
Neptunus alto sorbet oppressos salo,
Cum terminavit Parca vivendi ambitum.
Sunt qui micantem deserunt ultro diem,
Sibique nodo spiritus claudunt viam.
Nîl a malis immune. Sed mortalium
Subjecta fertur mille sors incommodis
Et mille damnis. Si mihi fides foret,

Nos sponte nostris non adessemus malis,
Addiceremus corda nec doloribus.

17. *Philemon.*

Si rem fatemur, omnium miserrimum
Quæcunque vivunt æstimandus est homo.
Nam curiosa cuncta sollicitudine
Rimans laborat semper, et sæpe excidit.
Tum terra mater cæteris animantibus
Quotidianum sponte victum suggerit,
Dans sponte, sumat cum nihil. Nobis malum
Est illa nomen. Quod satum est, sortem meram
Resolvit ægre: fœnore ut se liberet
Allegat æstum vel pruinosum gelu:
Ac forte, solus quando homo negotium
Ipsi facessit, dum fodit subter super,
Frustratione hac se vicissim ulciscitur.

18. *Batho Ætolo.*

Lapsum te esse hominem quid novi est? nam perpetim
Vitam agere fortunatam portenti est loco.

19. *Menander.*

Si quis labores nullos detrectaverit,
Divitias facile hac indipiscetur via:
Aut sapiens fiet, ingenium si exerceat;
Aut sanus, rigidam observans victus regulam.
Sed una res est nullis quæ laboribus
Potest parari, perpes indolentia.
Nam non adversa tantum mœstitiam ferunt,
Sed et secunda pariunt sollicitudinem.

20. *Philemon Ephebo.*

Non ut videtur hi qui in alto navigant
Soli jactantur tempestatibus, Laches,
Sed et hi spatiantur qui porticibus publicis,
Aut intra septa se domorum continent.
At illi qui se pelagi credunt fluctibus,

Aut una nocte aut uno vexati die
Salutem mox reperiunt, aut navalium
Tuto receptu, aut ventis aspirantibus.
Mihi vero id non contingit; nec in unum diem,
Sed in vitam omnem turbine infesto obruor
Magis magisque gliscente ægrimonia.

21. *Euripides Thyeste.*

Desipis, cum sis homo,
Si sine labore te usque victurum putas.

22. *Incertus.*

Sed plurima
Dies et atra nox ferunt mortalibus.

23. *Sophocles Mysis.*

Nemo est absque laboribus:
Felix cui minimum datur.

24. *Solon.*

Nemo beatus homo est: sed pars adscripta dolorum
Omnibus ætherium quos jubar irradiat.

25. *Bacchylides.*

Alias alii Deus imposuit
Curas homini: nullas nulli.

26. *Idem.*

Omnes inter quos portat humus,
Nemo est omni ex parte beatus.

27. *Idem.*

Sors prima homini nunquam nasci,
Nec Phœbeum spectare jubar.
Nemo est omni tempore felix.

28. *Herodes Mimiambis.*

Nullas ab omni labe cladis immunes
Domos videre est. Qui minus mali sentit,
Hic obtigisse plus boni sibi credit.

29. *Simonides.*

Veridico Chius dixerat ore senex,

Est similis plane foliis humana propago.
Sed pauci ista suis auribus hausta, simul
Mentibus inscripsere. Fovet spes credula cunctos,
Quæ sese juvenum cordibus insinuat.
Nam dum multivoli floret vaga temporis ætas,
Multa homines volvunt irrita consilia.
Quin neque tunc lethi mordet neque cura senectæ
Pectora, nec morbos membra timent vegeta.
Tantilla est miseris sapientia, nec videt ævi
Atque juventutis quam breve sit spatium.
Tu monitus meliora, datur dum vivere, vive:
Vive inquam, et genio comiter obsequere.

30. *Dionysius Tyrannus Alcmena.*

Vacuam doloris si tibi vitam putas
Semper futuram, spe beata pasceris:
Sed ea Deorum vita, non mortalium.

31. *Euripides Andromeda.*

Sum felix opum:
Sed ut vides sors sæva me miserum facit.

32. *Idem Æolo.*

Me nulla vitæ cura delectat meæ.

33. *Hesiodus Operibus.*

Plena malis tellus, plenæ sunt æquoris undæ:
Præterea adveniunt morbi noctuque diuque,
Exitium humano generi et tormenta ferentes.

34. *Euripides Antiopa.*

Eheu malorum quot vices mortalibus
Formæque! nemo nuncuparit terminum.

35. *Sophocles Œdipo Tyranno.*

Hæc est sola beatitas
Humano generi data,
Quam quis dum putat accipit,
Amittitque putando.

36. *Euripides Antiopa.*

Permulta hominibus, hospites, veniunt mala.

37. *Menander.*

Domum quæ habitetur omnis immunis mali
Reperire non est: sed malorum copiam
Dat fortuna aliis, aliis dant mores sui.

38. *Euripides Antiopa.*

Vera illa vulgi dictio: illum prospere
Agere necesse est; rursus hunc improspere.

39. *Idem Bellerophonte.*

Ego ex vetusta nobili sententia
Mortalibus primum esse non nasci puto.

40. *Idem Eurystheo.*

Non video qua sint lance res mortalium
Examinandæ, ut quid sit e re appareat.

41. *Idem.*

Adversa multis multa sunt mortalibus,
Quorum figura est varia: nec cerni datur
Intacta quæ sit vita Fortunæ manu.

42. *Idem Oreste*

Tam sæva tamque horrenda nulla oratio est,
Nec fors nec ira cælitum immissum malum,
Humana quin natura patiendo id ferat.

43. *Sophocles.*

Illæsa solis vita concessa est Deis.

44. *Idem.*

Deus alme, quam nusquam ulla vitandi via est,
Aut insita, aut immissa de cælo mala!

45. *Idem Tereo.*

Vicibus pingens hominum vitam
Varios sumit Pœna colores.

46. *Incertus.*

Hilaris, quæ nunc lucet, agatur:
Crastina nobis est cæca dies.

47. *Euripides Protesilao.*

Miserum esse narras qui sit homo: res non nova est.

48. *Sophocles.*

Homo flatus est et umbra: præterea nihil.

49. *Æschylus.*

Humana soboles in diem tantum sapit,
Nec est solidior umbra quam fumi levis.

50. *Homerus.*

Hoc superi dederant miseris mortalibus, ævum
Cum gemitu ut vivant vacui mœroribus ipsi.

51. *Idem.*

Namque homo cunctarum res una miserrima rerum est,
Quas tellus vehit, et vegetat cælestibus auris.

52. *Idem.*

Quod pretium est hominum causa tam dura subire
Prælia, qui, foliis similes, nunç omnia magna
Spirantes terræ vescuntur frugibus almæ,
Et nunc sponte sua consumto robore torpent?

53. *Menander Comprandentibus.*

Res per se infelix atque ærumnis obsita
Vita est humana, et densa curarum seges.

54. *Idem Fidicine.*

Res sunt cognatæ vita et anxietudines.

55. *Theognis.*

Respondere hominum non possunt omnia votis:
Supra mortales hoc habuere Dei.

56. *Antiphanes.*

Humanam vitam criminandi occasio,
Amice, multa est. Namque eximium nil habet,
Aut jure quod venereris: sed fluxa omnia,
Caduca, temporalia, anxietatibus
Permixta multis.

57. *Posidippus.*

Quod vitæ sectemur iter? fora plena molestis

Litibus: insedit morbida cura domos.
Rure labor multus, multusque in fluctibus horror.
Qui peregri vivunt, his et habere metus,
Et nec habere dolor. Tum ducta conjuge semper
Anxius: in vita cælibe, solus eris.
Qui pater est satagit: vivit non suaviter orbus.
Ætas est juvenum stulta, vieta senum.
Nil igitur satius, quam nunquam cernere lucem:
Vel modo conspecta luce repente mori.

Lucianus.

Omnia mortali mortalia: prætereunt res,
Aut homo res vita prætereunte fugit.

Palladas. [Anthol. Pal. X. 58.]

Nudus in hanc veni tellurem: nudus abibo:
Quid satago nudum natus ad exitium?

Idem. [Anthol. Pal. X. 65.]

Navigium vita est, quæ tempestatibus actos
Naufragio cogit non leviora pati.
Fortuna clavum moderante volubilis ævi,
Erramus, veluti per vada vasta maris.
Aura favens aliis, aliis contraria. Portus
Unus erit cunctis denique subter humum.

Idem. [Anthol. Pal. X. 72.]

Vita nihil, nisi res est ludicra. Ludere disce
Depositis curis, aut mala multa pati.

Idem. [Anthol. Pal. X. 73.]

Si quem fors agat atque ferat, ferat atque feratur:
Ni ferat, et feret hunc fors magis, et feriet.

Idem. [Anthol. Pal. X. 81.]

Nascebar lachrymans: lachrymo moriturus: et in te
Heu nihil inveni, vita, nisi lachrymas.

Idem. [Anthol. Pal. ib.]

Infirmum est hominum genus et miserabile, raptum
Quod subter terram solvitur in cineres.

Idem. [Anthol. Pal. VII. 688.]

Nil nisi ventus homo est, hostis sibi maximus ipse,
Et toto vitæ scit nihil in spatio.

Incertus. [Anthol. Pal. X. 124.]

Omnia sunt risus, cinis omnia, et omnia nil sunt.
Nam constant ex his quæ ratione carent.

Incertus. [Anthol. Pal. XI. 348.]

Res omnes te odere, feris homo sævior, et te,
Omnia cum perdas, undique fata manent.
Si terra fugias, juxta lupus: arboris altæ
Si scandas ramos, heic timor aspis adest.
Si tentare tibi Nilum placet, insidet, ultor
Justus in injustos, has crocodilus aquas.

Incertus. [Anthol. Pal. X. 123.]

Quæ fuga, vita, tui letho sine? plurima tecum
Vitatu mala fers aspera, dura pati.
Dulcia, quæ natura tibi dedit: aurea cæli
Signa, jubar Phœbi, Luna, solum, maria.
Cætera sunt tantum metus et dolor: et bona siqua
Contingunt, tergum sæva premit Nemesis.

75. *Homerus.*

[u] Juppiter ex animo, ex animo dilexerat illum
Cynthius: extremos ideo non attigit annos.

[x] TITULUS XCIX.

DE MŒRORE.

1. *Philemon.*

Multum malorum causa sola atque unica est
Tristitia. Mœror quippe ceritos facit,
Aliasque pestes generat insanabiles.

[u] Refer ad Tit. CXXI. [x] Cohæret cum Tit. CXXIV. et cum Tit. VII.

Multi dolore vitam ademerunt sibi,
Dum spem salutis superat lucti vastitas.

2. *Cleænetus.*

Cum dolor et ira pectoris sedem occupat
Unam, furores inde generari solent.

3. *Philemon Retegente.*

Eheu! namque ipsa suggerente nemine
Tristitia vocem extorquet hanc lugentibus.
Quod si quis salve dicat mœrenti obvius,
Salvere voce, reapse flere illum jubet.

4. *Euripides.*

Quicunque luctum tam gravem pestem autumat,
Ut debeat de montis aut saxi jugo
Se jacere quisquam, non sapit. Merito tamen
Tanto vacare semper exoptes malo.

5. *Philemon.*

Ita quando mentem trepidus obsedit pavor,
Expectorari nec dormitando potest.

6. *Incertus.*

Morbum quam tristitatem exantles facilius.

7. *Menander.*

In vitæ humanæ tot cruciabilitatibus
Tristitia major nulla reperiri potest.

8. *Euripides Œnomao.*

Ego illud ante cuncta discendum puto,
Ferre haud gravate si quid evenit mali.
Hoc qui scit ipse est melior, et mordent minus
Eum dolores. Nos sed isthæc dicere
Callemus omnes: facere positum in arduo est.

9. *Alexis.*

Tristitia cum furore habet commercium.

10. *Euripides.*

Tristitia morbos parturit mortalibus.

11. *Idem Andromeda.*

Malum futurum nulla non metuit dies,
Graviusque torquet ille venturus dolor.

12. *Idem Antiopa.*

Intelligo quæ patior. Haud levis is dolor:
Aliqua est voluptas abstrahi a sensu mali,
Interque damna quæstui ignorantia est.

13. *Incertus.*

Hæc audiens miserere. Nam trux calamitas
Exprimere gemitus etiam ab ignotis solet.

14. *Incertus.*

Sine mœroribus
Homo natus ævum nullus exegit suum,
Nec finem adusque pertulit res prosperas.

15. *Euripides Oreste.*

Res ante cunctas luctus exitio est mihi:
Difficile numen; attamen sanabile.

16. *Idem Alcmena.*

[y] Generosa sunt tua forte, sed prudentia
Carent facinora. Non placet laudabilis
Miseria: præstat quippe res rumoribus.

17. *Apollodorus Circumscriptis.*

Non possidentem multa nuncupaveris
Recte beatum, sed tristitia qui vacat.

18. *Menander.*

Natura hominibus multa cum gignat mala,
Tristitia est majus omnibus malis malum.

19. *Sophocles Tyro.*

[z] Sæpe æger animus corpori morbos dedit.

20. *Idem Eriphyle.*

Homo quid repugnem cladibus cælestibus,

[y] Refer ad Tit. IV. [z] Refer ad Tit. XCVIII.

Cum spes miserias nulla sustentet meas?

21. *Idem Ajace.*

Clades tantum spectare suas,
Nec participem novisse mali,
Ciet immensos corde dolores.

22. *Philemon.*

Tristitia egregie effingit, sine tectorio,
Duplo majora quam reapse sunt mala.

23. *Pindarus Olympicis.*

Emota certis mœsta mens e sedibus
Sæpe et sagaces decipit.

24. *Amphis Fratrum amantibus.*

Quam res morosa est, summe Divûm Juppiter,
Homo tristis! ut cuncta in malam partem accipit!

25. *Incertus.*

Ibi hominis animus est, ubi cruciat dolor.

26. *Apollodorus Lacte.*

Quoscunque mœror aut cura habet exercitos,
Eis videri longa nox quævis solet.

27. *Antiphanes.*

Insaniæ tristitiam vicinam arbitror.

28. *Alexis.*

Terminum si excesserit
Mediocritatis luctus, mentem eliminat.

29. *Posidippus.*

Versicolor adeo et multipes mœror malum est.

30. *Idem.*

Difficile est luctum fugere. Nam quot sunt dies
Materiam pariunt semper ad luctum novam.

31. *Antiphanes Medico.*

Quicquid luctificum est homini, id omne morbus est,
Quacunque voce dixeris.

32. *Idem Fausta navigatione.*

Tristitia hominibus vitaque ærumnabilis

Pictores valde sunt mali: namque hoc agunt
Primum, ut colorem delinant de corpore.

TITULUS C.

DE MORBIS, ET MOLESTIARUM QUÆ EIS ADSUNT DEPULSIONE.

1. *Euripides Oreste.*

O somne, requies blanda, lenimen mali,
Quam me benignus sublevasti in tempore?

2. *Idem.*

Jacere lecto corpus ægrotans amat:
Et hoc molestum est, sed jubet necessitas.

Ib. *Idem.*

Jam jam revolve corpus, et sursum erige.

Ib. *Idem.*

Morosa res est additus morbo dolor.

Ib. *Idem.*

El. Tellure fultos an placet figi pedes?
Or. Volo: sanitatis hoc refert imaginem:
Cum re potiri non licet, species juvat.

3. *Idem Bellerophonte.*

Mali necesse est noscat ingenium, malo
Qui vult mederi: more nec medicamina
Adhibenda, sed quæ tempus et res exigunt.

4. *Idem.*

Sunt plurima homines sponte quæ accersunt sua:
Sunt alia rursus missa de cælo mala,
Queîs ars medetur. Cæterum hoc dictum volo,
Faciunt Dei si prava, jam non sunt Dei.

5. *Philemon Mystica.*

Male habere non tam male habet hunc qui habet male,
Quam quod visum ad se singulis ventantibus
Male habens quî se habeat commemorare cogitur.

6. Heliodorus Spectaculis Italicis.

Itala qua tellus Gaurano colle tumescit,
A læva insurgens regio se ostendit eunti
More nivis candens: illinc quæ prosilit unda
Sævum olet et sensu tentantes torquet amaro.
Qui vineta colunt circumsita luminis orbes
His medicantur aquis. Queis cura est sola lavandi,
Artus ut liquido perfusos flumine purgent,
Hi compressa prius ciliorum tegmina claudunt,
Atque ita se immergunt limphis, ne transeat humor
Claustra, rigansque oculos oculis sit causa dolendi.
At quibus objecta nigræ caligine nubis
Lumina læsa dolent, et quæ se cornea circum
Fert oculos crasso turgescit vellere fibra,
Hos juvat ille latex, his fas tutumque patentes
Immersare genas: cedunt tormenta dolorque,
Et cito morbus abit medico depulsus ab imbre.

TITULUS CI.

DE SANITATE.

1. *Scriptor aurei carminis.*

Corporis interea nunquam contemne salutem.
Sit modus in potu, dapibus, duroque labore:
Quod doleat vitare, modus me judice verus.
Delicias arce, contentus simplice victu.

TITULUS CII.

DE MEDICIS ET MEDICINA.

1. *Homerus.*

Namque alios longe medicus supereminet omnes,
Sive opus est herbis, seu vulso e vulnere ferro.

2. *Euripides.*

Periculoso qui malo ducit diem
Melius juvabit sæpe quam qui artus secat.

3. *Mimnermus.*

Ut fabulatur natio medentium,
Quæ levia magni, gravia plus æquo æstimat,
Laudi parandæ.

4. *Philemon Siculo.*

Facile omnes homines aliis consilium damus,
Sed in re nostra non tam facile est exsequi.
A medicis argumentum est in promtu situm,
Præcepta videas quos dare invalentibus
Victus severi: at ipsi si in morbo cubent
Eadem illa facere quæ aliis interdixerant.
Credo una nolunt dolor esse et curatio.

5. *Idem.*

Si circumspicias nemo est medicorum omnium
Recte valere amicos qui cupiat suos,
Nec miles urbis placidum qui exoptet statum.

6. *Philemon Minor.*

A. Quid hoc est hominis? *B.* Medicus. *A.* Proh superûm fidem.
Quam miser est omnis medicus si nemo est miser?

Ib. *Idem.*

Causidicis hoc et medicis præcipuum obtigit:
Occidunt, legem nec timent Corneliam.

TITULUS CIII.

DE FELICITATE.

1. *Homerus Odyssea.*

Ævi flore frui, senii contingere limen,
Divite conjugio fultum rebusque relictis,

Declives implere domi feliciter annos,
Cernere consiliis præstantem et robore prolem.

2. *Bacchylides Epiniciis.*

Felix cui sors ista bonòrum
Contigit almo munere divûm,
Florentem opibus degere vitam:
Nam nihil omni ex parte beatum est.

3. *Carcinus Tereo.*

Virtus colenda est semper, oranda est Deos
Fortuna: quisquis ista conjunxit duo,
Boni et beati nomen is merito feret.

4. *Callimachus Hymnis.*

Nec fortuna beet quenquam virtute remota.

5. *Sophocles Antigona.*

Felices satis, o quibus
Expers vita malorum.

6. *Pindarus.*

Nequeunt bona reddere quenquam
Quæ sunt fugitiva beatum.

7. *Menander Demiurgo.*

Felix qui mentem cum divitiis possidet;
Nam solus ille novit divitiis frui.

8. *Theognis.*

Pulchrum justitia est, fortunatumque valere:
At suave inprimis cernere quod cupias.

9. *Sclerias.*

Pars est prima boni valere recte:
Pollere ingenii secunda dote:
Justas tertia possidere gazas:
Compubescere quarta sors amicis.

10. *Sophocles Ione.*

Nusquam sincera feruntur
Bona præterquam Jovis horto.

11. *Cratinus Divitiis.*

Sunt sponte nata queis Deus pandit bona.

12. *Theognis.*

Cyrne, Deis placeam: felix me vita sequatur:
Præterea virtus non opus ulla mihi.

13. *Sotades.*

Omnes miserant pauperis, invident habenti:
Justum medio tramite temperatur ævum.
Id credere sat, quod datur, optima est voluptas.

14. *Theognis.*

Sit mihi divitiis florens intactaque curis
Liberaque et nullo saucia vita malo.

Ib. *Idem.*

Nec cupio, nec opes opto mihi: sit mihi parvo
Læta sed a duris libera vita malis.

15. *Sophocles Creusa.*

Justi tenace pulchrius vita nihil,
Nîl sanitate melius; at nîl dulcius
Ea quam potiri quæ sibi quisque expetit.

TITULUS CIV.

DE INFELICITATE.

1. *Homerus Iliade.*

Ah miser, extremo senii quem lumine duris
Juppiter exercet fatis, cogitque tueri
Vincula natarum, natosque in cæde jacentes,
Vastatosque lares, illisaque corpora terræ
Infantum, sævus dum concutit omnia Mavors.

2. *Menander Hydria.*

Seni infelici, quæ oblivisci cœperat,
Ea tute commemorando renovasti mala
Resuscitans miseriam.

3. *Sophocles Nauplio.*

Mala namque passo mille si felicior
Nox una detur, alterâ mors imminet.

4. *Euripides.*

Titulum beati qui tulit, fati vices
Haud facile tolerat. Non dolet, quisquis malis
Suetus miseriam vertit in mores suos.

5. *Menander Deposito.*

Credulitas comes assidua est infortunio:
Plus quippe semper alium sapere existimat
Consilia sæpe quem fefellerunt sua.

6. *Amphis Vinitore.*

Quibus male homines rem gesserunt in locis,
Ad ea se rursum non libenter applicant.

7. *Menander Enchiridio.*

Nunquam putaram. Fors et quicquid evenit
Inexpectatum, mentem id homini expectorat.

8. *Homerus Iliade.*

Ut me usque malis mala nexa sequuntur.

9. *Euripides Antigona.*

Redacti sumus ad ipsas incitas.

10. *Idem Æolo.*

Hoc viget et ardet, illud effluxit malum:
At quod futura sors trahit cerni vetat

11. *Philetas.*

Nil aliud mea mens quam concoquit: altera rursus
Stant mala pro foribus, nec datur ulla quies.

12. *Incertus.*

Ah quam sæpe gravi jactaris turbine rerum,
Mens mea: ridenti nunquam micat aura sereno,
Sed nova perpetuo surgit tibi forma dolorum.

13. *Menander Heroe.*

Hei mihi quæ sola talibus mergor malis
Quorum fidem omnem superat ipsa immanitas.

14. *Idem.*

Foris beati qui personam sustinent
Interius similes sunt hominibus cæteris.

15. *Philetas.*

Hinc tellure vagus feror et feror æquoris unda,
Annorum quot sunt a Jove curricula:
Nec fera Parca malis finem facit. Illa perenne
Durant, atque illis se nova conglomerant.

16. *Diphilus.*

Fortuna, ut cyathissatrix, uno pro bono
Mortalibus tria rursus admiscet mala.

TITULUS CV.

INSTABILEM ESSE HOMINUM PROSPERITATEM, FACILE DEVERGENTE FORTUNA.

1. *Euripides Inone.*

Vides tyrannos longa quos fovit dies
Ut sæpe res exigua momento brevi
Deturbet, alios rursus in celsum levet.
Pennata res fortuna. Jam multos ego
Vidi supinos spe procul volvi sua.

2. *Dionysius Tyrannus Leda.*

Hominem beatum dixeris quenquam cave,
Nisi jam beato collocatum funere.
Laudare tantum mortuos tuto datur.

3. *Sophocles Tyndareo.*

Celebranda laude nullius felicitas
Hominis, priusquam sorte defunctus sua
Mortalis ævi terminos impleverit.
Namque una sæpe quamlibet celsas opes
In plana traxit hora, cum se lubrica
Fortuna volvit, atque sic visum Deo.

4. *Alexis Brettia.*

Ita vita humana est quasi si ludas tesseris:
Non habet eosdem semper jactus alea,
Nec vita formam: varias sed patitur vices.

5. *Diphilus Pictore.*

Inopinum nullum debet esse homini malum,
Fortuna quoniam nobis in diem datur.

6. *Euripides.*

Non placet hoc in primore viro:
Non, Agamemnon, ad bona tantum
Te sevit Atreus:
Sed gaudendum est atque dolendum:
Nam natus homo es: nolisque licet
Ita lex fert magna Deorum.

7. *Simonides.*

Illæsa nulli vita, nec culpa vacans.

8. *Euripides.*

Non debet usus prosperis successibus
Spondere sortem semper addictam sibi.
Dea illa, dici si tamen fas est Deam,
Fastidiosa est, nec fovet quenquam diu.
Mortalium res fluxa. Qui spe turgidi
Futura metiuntur e præsentibus,
Documenta veri cladibus capient suis.

9. *Simonides Næniis.*

Quid ventura [a] dies crastina sit parce homo dicere,
Felicem neque si conspicias, an maneat diu.
Nam non tam rapidis acta fugit musca volatibus
Quam lapsæ subita res hominum prætereunt vice.

10. *Menander.*

Nihil usquam in rebus tam bonum est, o Demea,
Cui reperire nîl sit admixtum mali.

[a] Olim: *Quid ventura ferat sors homini parce homo dicere, Nec fave augurio quanta viro vita, quis exitus.*

11. *Euripides Antiopa.*

Plena est laborum vita data mortalibus:
Non semper est infesta, non semper favens
Fortuna: nunc res læta, nunc improspera.
Quando ergo nostra tam vaga est felicitas,
Quin absque curis discimus vita frui?

12. *Idem Bellerophonte.*

Quid in humana certum vita est?
Cursum ratibus venti celeres
Per maris alti vada vasta regunt:
At fortunas sublime sitas
Hominum in præceps agit ipsa dies
Pressasque levat.

13. *Idem Chrysippo.*

Here, nemo novit sorte mortali satus
Mensura quæ sit prosperi atque improsperi.

14. *Idem Andromacha.*

Titulo beati non bene appellaveris
Nisi cujus ævi videris summum diem,
Qualique sorte clauserit vitæ exitum.

15. *Idem Auge.*

Fortuna nobis non negat solis fidem:
Omnes levis fefellit aut sero aut cito:
Felicitatem nemo perpetuam tulit.

18. *Idem Scyriis.*

Quam sors iniqua contigit mortalibus?
His ridet, illos cladibus duris premit
Fortuna, quamvis rite venerentur Deos,
Castumque ab omni pectus arcentes probro
Sectentur æqui itinera sollicito pede.

17. *Idem Andromeda.*

Fuit hic felix: sed vertit opes
Deus, et clari nominis olim
Fortuna labat: vitaque venti

Diffluit instar.

18. *Idem Supplicibus.*

Ne quæso: præbent saxa perfugium feris
Aræque famulis; urbibus pressis malo
Tutamen urbes. Nulla res mortalium
Felicitatis gaudet æternæ bono.

19. *Idem Ino.*

Regina, multos opprimunt homines mala:
Ab his recedunt, rursus illis imminent.
Eunt in orbem, terra quas fruges parit
Hominumque soboles. Quippe pars surgens viret,
Pars jam metenda exspectat exitii diem.

20. *Idem Hecuba.*

Posse indecora præpotentes non decet,
Nec est habenda prosperis rebus fides.
Ego tam beata nuper en resto nihil:
Opes superbas una vastavit dies.

21. *Sophocles Tyro.*

Ne dic beatum quem mori non videris.

22. *Moschio.*

Generosus ortu, nobilis prudentia
Argûm imperator, regiis penatibus
Eliminatus, supplicem ramum ferens
Defigit oculos in solo miserabiles,
Monstratque cunctis illa quæ claro micant
Fulgore quam non propria sint homini bona.
Ut quisque vidit civium, ex animo dolet,
Dataque dextra, benevolisque affatibus
Solatur; oculos uberes lachrymæ rigant
Sensu doloris. Pristina etenim dignitas
Afflicta, cogit corda commiserescere.

23. *Menander Cincinnis.*

O Parmeno, nullum vita in humana bonum est
Quasi arbor radice una ramos erigens:

Sed mala propinqua sunt bonis atque adsita:
Natura ex ipsis bona quin progenerat malis.

24. *Archilochus.*

Quicquid est adscribe Divis: sæpe qui lapsu gravi
Erigunt pressos, et atro sordidatum pulvere
Sæpe resupinant putantem stare se firmo gradu,
Unde densa se malorum proferunt examina,
Et miser palatur orbus consilî, victus egens.

25. *Theodectes.*

Olim celebris, o senex, per Græciam
Ipsis probata rebus hæc sententia est:
Incerta hominibus esse Fortunæ bona.

26. *Euripides Cressis.*

Ne qui videtur hunc beatum dixeris
Fati ante tempus. Nam datur fors in diem.

27. *Alexis.*

Nempe ut videtur etiam felicem vices
Par est vereri, nec Fortunæ credere.

28. *Menander Agricola.*

Male feriatus sit necesse est, quisquis est
Qui vestram fuit in paupertatem injurius:
Fortunæ insultans ipsi quæ forte imminet.
Nam quamvis opulens, rebus incertis tumet.
Fretum fortunæ reciprocos æstus habet.

29. *Clitomachus.*

Fortuna reflans prospere viventibus
Conturbat afflictatque naufragio omnia
Quæcunque vitæ condiendæ suaviter
Prudens repererat ingenî solertía.

30. *Batho Ætolo.*

Homo es: labasti: nempe in vita id maximum
Prodigium est vita prospera semper frui.

31. *Euripides Archelao.*

Pridem ipse mecum specto res mortalium

Quam sit caduca et fluxa: prostratus solo
Surgit: beatus alter eversus cadit.

32. *Idem Andromeda.*

Adeo usque felix nullus est mortalium
Divina quem non proruat tandem manus.

33. *Idem Alexandro.*

Ut nemo felix undique est mortalium!

34. *Idem Hecuba.*

Ut nihil in æquo permanet mortalibus!

35. *Ibidem.*

Ut nîl hominibus proprium, non gloria,
Non spes futuri rebus ex præsentibus.

36. *Hesiodus Operibus.*

Ipsa dies homini jam mater jamque noverca est.

37. *Sophocles Ajace.*

Ut tollit omnes tempus et rursum premit
Mortalium res. Dî tamen castos amant,
Hostiliterque semper oderunt malos.

38. *Idem Trachiniis.*

Olim inter homines nobilis sententia est,
Sciri nequire sitne felix an miser
Qui summa nondum spatia vitæ expleverit.

39. *Idem Phædra.*

Hominum recense quicquid usquam est gentium:
Omni beatum parte non inveneris.

40. *Euripides.*

Firma et perennis nemini est felicitas.

41. *Sophocles Trachiniis.*

Æquum profecto est si velis advertere
Ut dura timeat cui datur lætis frui.

42. *Idem Alete.*

Quid est quod aliquis alteri sortem datam
Summo infimove ponat, aut nullo in loco,
Cum nihil in una sede permaneat diu!

43. *Euripides Hippolyto.*

Jam sæpe vidi præviam mortalium
Felicitatem dedecus magnum sequi.

44. *Idem Œdipo.*

Mutavit ævum sæpe jam nobis Deus,
Variasque tribuit sortis alternæ vices.

45. *Ibidem.*

Mutationes una fert multas dies.

46. *Idem Meleagro.*

Divitum res heu secundas quam cito evertit Deus!

47. *Diphilus.*

Nîl stabile in ævo cernitur mortalium,
Nec fata quisquam fingit arbitrio suo.

48. *Nicostratus.*

Felix ab omni parte nemo usquam est homo.
Euripides, pol, noster amplexus bene es
Ævum omne versus unius compendio.

49. *Apollodorus.*

Non video quorsum argento confidas, pater,
Quod nîl habenti facile largiri solet
Brevis hora, et rursum possidenti demere.

50. *Philemon.*

Sæpe hodie qui vix a se porcebat famem
Postridie alios aluit larga alimonia:
Et rursus hodie qui thesaurum repererat
Postridie omnem rem suæ amisit domi.

51. *Incertus.*

Habent superba dona Fortunæ metum.
Rebus negata fulgidis securitas,
Tutumque hominibus nîl et excelsum simul:
Aut livor illud, aut edax sternit dies,
Summum ad gradum cum claritatis venerit.
Mediocritatis tutior possessio,
Per quam nec aliquis premitur afflictus solo,

Nec se invidenda tollit in fastigia.
Nam qui minore volvitur spatio cadens
Multo facilius damna dissimulat sua.
Majore moles vasta cum strepitu ruit.
Invidia claris semper est rebus comes,
Et cum favet Fortuna captatum venit.

TITULUS CVI.

DE ILLIS QUI FORTUNATI SUNT INDIGNE.

1. *Euripides Bellerophonte.*

Fidens honore spiritus tumidos geris.
Ah moriar: almum cernere haud tanti est jubar
Ut honore plenos tuear indigno malos.

2. *Idem Dictye.*

Jam sæpe vidi, sæpe et indigne tuli
Bonos sequentes moris exemplum mali
Sermone cum certamen irato strepit.
At illud ingens visu et auditu nefas
Aliquem tacentem probra pejorum pati.

3. *Idem Œneo.*

Fortuna, amici, cum malos nimium fovet,
Illi insolentes, liberi pœnæ metu,
Quicquid lubido dictat audacter patrant.

4. *Idem Supplicibus.*

Res permolesta est maxime optimatibus
Cum dignitatis flore vir splendet malus,
Qui vilis ante jam trahit lingua tribus.

6. *Ibidem.*

Heu cum malorum vota fortunat Deus,
Ut insolescunt velut id æternum foret?

5. *Idem Helena.*

Feliciores sæpe perversi probis.

7. *Idem Temenisi.*

Egregia sæpe semet exserere indoles
Duro malorum pressa dominatu nequit.

8. *Menander Incito.*

Si quis Deorum jam mihi dicat, Crato,
Ubi vitam functus fueris vives denuo,
Et fies quidvis, hircus, aut canis, aut ovis,
Equus, homo denique: nam revivendum tibi est:
Ita fata sciscunt: opta quam vitam velis:
Dicturus videor illico, Fac me quidlibet,
Dum ne hominem facias. Unum id animantum omnium
Sine merito habet fortunam aut infortunium.
Equorum ut quisque fortis est, curatius
Habetur alio. Velox in pretio canis
Majore est, quam projectus ingluvie atque iners.
Generosus fruitur gallus præcipua dape,
Atque ultro ignavus alter potiorem timet.
Homo si quis est bene natus, eductus probe,
Caste moratus, nullum pretium hoc seculo est.
Primas in vita habet assentator, alteras
Calumniator; at malignus tertias.
Quanto asinum fieri satius quam intuerier
Pejores se pollucibilius vivere!

9. *Theognis.*

Sæpe repulsa bonos sequitur; stultosque malosque
Circumstat studiis obsequiosus honor.

10. *Idem.*

Divitias dat sæpe malis Deus: at nec amicis
Ulla, nec hinc ipsis nascitur utilitas.
Perpetuus virtutis honos. Vir pectore forti
Incolumes terras præstitit et populos.

11. *Sophocles Alete.*

Malos profanis prosatos genitoribus.

Florere rebus prosperis visu grave.
Stirpem bonorum rursus ingenio probo,
Malis subactos, cladibus mersos premi.
Disponere aliter cura debuerat Deûm
Mortalium res: nam pios decuit palam
Bona largitate consequi cælestium:
Contra scelestos paria criminibus suis
Supplicia aperte luere Dîs ultoribus:
Ita res secundas nemo jactaret malus.

TITULUS CVII.

DE ILLIS QUI INDIGNE MISERI SUNT.

1. *Menander.*

Nil æque cerno invitus ac rectam indolem
Implicitam vitæ tristis ægrimonia.

2. *Idem.*

Nil miserabilius quam cum animus juris tenax
Senecta ætate sentit fati injurias.

3. *Idem.*

O Fors quæ rerum gaudes multiplici vice,
Tibi iste magnam casus invidiam facit,
Injusta quod justum hominem exercet calamitas.

4. *Alexis.*

Fortunam mente esse orbam jam constat mihi:
Aliter vir nunquam talis infelix foret.

5. *Antiphanes.*

Me miserum, quam illud iniquum atque intolerabile est,
Fortuna cum desciscit, et mores manent!

6. *Euripides Heraclidis.*

Quanto sit altum stemma fortuna minus,
Jam video demum. Nam bono exorti patre
Isti laborant undique indignis modis.

7. *Menander Olynthia.*

Quam vero iniquum est, cum quid molitur boni
Natura, tum Fortunam id intervortere!

8. *Idem.*

Multos jam vidi quos malos necessitas
Finxit miseriis, cum non essent ejusmodi
Suopte ingenio.

TITULUS CVIII.

EVENTUS RERUM FORTITER NOBIS FERENDOS ESSE, UT QUI HOMINES SIMUS ET VITAM SECUNDUM VIRTUTEM INSTITUERE DEBEAMUS.

1. *Philemon Sardio.*

Lamenta nostris si mederentur malis,
Et possent fletu deliniri miseriæ,
Auro licerent contra et pluris lachrymæ.
Nunc non attendit luctum res, nec respicit:
Sed plores seu non plores, insistit viam.
Quid proficis? nec hilum. At interea tamen
Ut arbor poma, sic dolor lachrymas parit.

2. *Idem.*

Ego ob res istas doleo vehementer quidem,
Sed præ dolore sapere non cesso tamen.
Hoc est quod me hominem præstat, hoc me sospitat.

3. *Euripides Antigona.*

Laxare habenas parce tristitiæ, memor
Sæpe ex dolore gaudium mortalibus
Et ex malorum segete progigni bona.

4. *Chæremon.*

Ex re pusilla, qui sapit, nunquam dolet.

5. *Menander.*

Forti animo ferre fortunæ aude amentiam.

6. *Idem.*

Non minus adversa fortiter quam prospera
Tolerare debet animus vere nobilis.

7. *Philemon Corinthia.*

Si mala novisses, quæ alios implicitos tenent,
Libens haberes, Nicophon, quæ nunc habes.

8. *Idem Paupere sive Rhodia.*

Moriendum si esset omnibus qui non habent
Quod animus optat, esset moriendum omnibus.

9. *Diphilus Adelphis.*

Vir bone, miserias disce mortalis pati,
Ut quod necesse est, et non ultra, sis miser:
Nec mala jumento ibimet accersas tuo.

10. *Philippides Philadelphis.*

Here, si qua tibi unquam calamitas evenerit
Feres facilius dicti memor Euripidis:
Felix ab omni parte nemo usquam est homo:
Tum vero e multis esse te unum existima.

11. *Euripides Hypsipyle.*

Adverte quod te mulier admonitam volo:
Cunctis hominibus hæret assiduus labor,
Sepelire prolem, quærere iterum liberos,
Tandem interire. Graviter has tolerat vices
Mortalium gens: attamen fatum jubet,
Ut plena segetis arva, sic vitam meti;
Ut hic sit, ille non sit. Hæc quorsum attinet
Lugere, quæ Natura nos cogit pati?
Quicquid necesse est ferre nec habendum grave est.

12. *Idem Hercule Furente.*

Quicunque nescit genere mortali satus
Quo ferre iniquam debeat sortem modo,
Nec tela ferat hic stantis advorsum viri.

13. *Idem Antigona.*

Quicunque casus atque fortunæ vices

Ratione tolerat, hic minus multo est miser.

14. *Idem.*

Fer quas agitat Fortuna vices:
Sine Dî portent fluctusque ratem.

15. *Idem.*

Mortalis id fer omne quod mortalium est:
Homo ne poscas cælitum vitam tibi.

16. *Idem Hippolyto Coronato.*

Fer te: nec tam graviter jacta
Corpus, alumna.
Levius morbum tolerare dabunt
Animus constans et blanda quies.
Homini misero esse necesse est.

17. *Idem Alexandro.*

Commune mori: sed rite malum
Commune pati, sapientis opus.

18. *Idem Alcmena.*

Adversa recte ferre generosum decet.

19. *Idem Æolo.*

Pati necesse est: at quod immittunt Dei
Bene ferre quisquis didicit, is vere sapit.

20. *Idem Bellerophonte.*

Nam neutiquam hominem rebus irasci decet:
Nîl quippe curant. Vertere at in usus suos
Quod casus offert, optimum ac tutissimum est.

22. *Idem Helena.*

Dolenda pateris. Video. Tentandum tamen
Ut facile toleres quod jubet necessitas.

23. *Incertus.*

In cælites vim non parare est optimum,
Sed amare fatum. Vetita qui nimium cupit,
Sæpe et paratis rebus excussus jacet.

24. *Idem Menalippa.*

Quicunque didicit dura mortalis pati,

Hic jure sapiens et gravis censebitur.

25. *Idem.*

[b] Evenit illud, quod solet multis, tibi:
Qui plus cupiscunt, parta non custodiunt:
Sua hos aviditas sæpe in exitium trahit.

26. *Bacchylides.*

Unum iter felicitatis, unus homini terminus,
Tristibus curis soluto corde vitam ducere.
At quibus mentem perurunt mille sollicitudines
Anxiæ semper futuri, nec quiescunt noctibus,
His gravi labore pectus flagrat et nîl proficit.

27. *Scriptor aurei carminis.*

Mortali generi quos dat Fortuna dolores,
Partem ferre datam, nec succensere, memento.

28. *Antiphanes Auriga.*

Viro vir illud interest: alter malo
Affectus id dum jactat accendit magis:
Alter succollans fert minore incommodo.

29. *Idem.*

Generosus qui sit, æque fortunam ferat:
Namque esse infortunatum cujusvis puto:
Adversa recte tolerare, id vero viri.

30. *Menander Canephoro.*

Infortunia
Inopina fugere non est in nostra manu.

31. *Idem.*

Decenter ferre damna et res improsperas,
Sapientis est officium: non ducta retro
Superciliorum nube clamare, ah dolor,
Sed quicquid sors indixit constanter pati.

32. *Idem Plocio.*

Dispelle procul a vita mœstitudinem:

[b] Refer ad Tit. X.

Breve atque angustum nimis est hoc quod vivimus.

33. *Philemon.*

Here, persæpe homines graviora efficiunt mala
Ipsi sibi ipsis quam sunt ea suapte vi.
Excessit vita natus aut mater puta,
Aut proxima aliquis ex necessitudine:
Id si quis sic accipiat: "Nempe obiit diem
Homo natus," quantum fuerat tantumdem est malum:
Quod si sic: "Periit: non tuebor amplius,
Heu vita invita:" qui ista secum deputat
Is ad malum alia sibi consarcinat mala.
At qui rationis cuncta ad arbitrium vocat,
Is quod dolet deducit, retinet quod juvat.

34. *Idem.*

Tam subito imbellis factus? nam ne nescias,
Non fortitudo est ista, verum imbellia
Animi impotentis ferre mœstitudinem.

35. *Idem.*

Multa in familiis multis eveniunt mala,
Recte ferendo quæ vortuntur in bonum.

36. *Apollodorus.*

Grave est quidem Fortuna: grave: veruntamen
Illam perferre recte decet ut sarcinam.

37. *Philemon.*

Hoc alius alio præstat, quod constantius
Bonam malamque didicit fortunam pati.

38. *Menander Androgyne.*

Casus futuros par est opperirier
Mortalem natum. Nam nihil est statarium.

39. *Philemon.*

Si noveris homo quid sit, sat felix eris.
Interiit aliquis: ne sit cordolium tibi:
Hæc peperit, hæc non peperit: est alius miser:
Hic tussit: ille plorat: hæc fert omnia

Natura secum. Tu tantum luctu abstine.

40. *Sotades.*

Injuria quem temporis improbi lacessit,
Hoc quod cupiat non fieri ferendo vincit.

41. *Menander Mulierum osore.*

Sin quicquid dolet
Excernas semper, tibi nec contra compares
Quod est utibile, jam tolerando non eris.

42. *Idem Bœotia.*

Multa ardua
In rebus est reperire. Sed potius vide
An non et aliquid commodi secum ferant.

43. *Euripides.*

Sapientium hoc est atque cordatûm virûm
Nunquam malis in rebus irasci Deis.

44. *Menander Mulierum osore.*

Quicquid molestum, quicquid adversum accidit
Tecum ipse spectas et connives ad bona:
Atqui nihil usquam, Simyle, invenias boni,
Cui nulla malorum se admiscuerit portio.

45. *Idem Auriga.*

Quorum in fortuna causa est non in moribus,
Ea fortiter tolerare generosum decet.

46. *Idem Eunucho.*

Nec Dîs rebella, nec tempestates novas
Accerse, ferre quod necessum est id feras.

47. *Alexis Syracusio.*

Ut video, mala
Facilius tolerat quisquis non obnititur.

48. *Menander.*

Nemo quem infortunio
Dî mactant, animum protinus despondeat.
Forsit alicujus hinc boni erit occasio.

49. *Bacchylides.*

Nam quid levat tandem mala
Quassare corda luctibus?

50. *Philemon.*

Nullum invenire est uspiam mortalium
Mala qui non sit sensurus aut jam senserit.
At qui quod fert Fortuna quam minimi facit,
Utrumque, et plus sapit, et est fortunatior.

51. *Sophocles.*

Quod casus offert ponere ex usu suo,
Non gemere Fortunam, aleatoris boni est.

52. *Alexis Philotragœdo.*

Sapientis est consulere fortunam boni.

53. *Sophocles Phædra.*

Nemo, mulieres, dedecus vitaverit
Cui destinata sunt mala imperio Jovis.
Morbos ferendum est quos Deûm mittit manus.

54. *Incertus.*

A. Responsa quæ fers a Dei penetralibus?
B. Bona: quippe quamvis tristia, ad finem bonum
Quæ deriguntur, fausta recte dixerim.

55. *Sophocles Ajace.*

Bene ominare: nec mala apponens malo
Remedia, clades ipse congemina tuas.

56. *Idem Acrisio.*

Ne metue, mulier: multa quæ in somnis mala
Apparuerunt nocte, lenivit dies.

57. *Menander.*

Mali nîl equidem es passus ni præ te feras.

58. *Sophocles Tereo.*

Hæc dura, Procne, fateor: interea Deûm
Decreta placide ferre mortales decet.

59. *Homerus Odyssea.*

Stat mihi mens animi non immemor ante malorum.

Ib. *Ibidem.*

Aliis accedat et istud.

[c]TITULUS CIX.

BONAM FORTUNAM PROFERENDAM ESSE, MALAM VERO CELANDAM: ET REBUS PRÆSENTIBUS RECTE UTENDUM.

1. *Pindarus.*

Qui te labores quæve cura exerceat
Extraneis pandas cave.
Benigna si quid dulce sors donat tibi
Id publice ostendas licet,
Dum triste si quid numen immisit Deûm
Cures tenebris condere.

2. *Sophocles Tyro secunda.*

Malum quod urget spargere in vulgus cave:
Debetur etenim luctibus silentium.

5. *Diphilus.*

O quam molestum est ubi quem sollicitudines
Mordent, tum quemvis testem cogi admittere.

3. *Menander Supposititio.*

At medius fidius narras stultitiam haud levem,
Testatas malle quam latentes miserias.

4. *Idem.*

In hoc situm est
Casum prudenter ferre, si solus feras,
Nec tua denudes aliis infortunia.

6. *Euripides Œdipo.*

Vulgare casus asperos, vecordiæ:
At quod ferendum est ferre clam, sapientiæ est.

[c] Sequitur heic in editionibus Stobæi Titulus Περὶ Μικροψυχίας, id est, De Pusillanimitate: sed sine versibus; et in manuscriptis non exstat is Titulus.

7. *Idem Cressis.*

Grave est miseriis atque dedecore opprimi:
At ferre si sors jubeat obducto mala
Clependa velo, fama ne in vulgum exeat
Turbæque pariat hosticæ ludibrium.

8. *Idem Scyriis.*

Meminere damna tegere, qui sapiunt, sua.

TITULUS CX.

DE SPE.

1. *Linus.*

Omnia sunt speranda, nihil sperare negatum:
Nam nihil est quod non valeat divina potestas.

2. *Apollodorus Pueris.*

Non debet animus desponderi in miseriis,
Sed exspectanda sunt meliora in posterum.

3. *Euripides Inone.*

Spe semper aliqua, qui sapit, vitam fovet.

4. *Menander.*

Infortunato spes salutaris Dea est.

5. *Euripides Inone.*

Nec tibi remittat fræna Fortunæ favor,
Adversa nec spem pectori excutiant tuo.

6. *Hesiodus Operibus.*

Sola sed intactis spes in penetralibus hæsit
Margine pressa cadi, nec se projecit in auras
Evolitans; quippe illa cadum jam clauserat ante.

7. *Euripides Hercule Furente.*

Etiam calamitas ipsa lassari solet.
Nec semper aer tristibus flabris gemit:
Nec cui beate nunc, et olim sic erit.
Perpetua rebus imminent divortia.

Longe optimus qui sperat. At qui ignavia
Despondet animum, nullius pretii est homo.

8. *Menander Nauclero.*

O Juppiter supreme, spes quantum est mali?

9. *Idem Fidicina.*

Adeo molesta res est exspectatio.

10. *Archilochus.*

Nîl supra spem collocatum est, nîl futurum quod neges,
Nîl quod admirere. Quippe cælitum summus pater
Noctis excivit tenebras in mero meridie
Sole se condente magno cum metu mortalium.
Inde nîl sperare vetitum: nîl quod exsuperet fidem:
Nulla jam miranda nobis amplius spectacula,
Nec suas si forte delphin horrido migrans mari
Cum feris mutet latebras: hisque telluris solo
Carius sit æquor, illum celsa delectent juga.

11. *Theognis.*

Tantundem plerunque valent spes atque periclum,
Mortali generi numina dura duo.

12. *Idem.*

Omnibus e Divis mortalibus una favet Spes.

13. *Euripides Supplicibus.*

Spes dira pestis sæpe concordes diu
Commisit urbes spiritu nimio tumens.

14. *Sophocles.*

Spes namque multos sola mortales alit.

15. *Theocritus.*

Batte, animis opus est: melius nam forsan erit cras.
Spes sequitur vivos et functos morte relinquit.
Imbriferas hyemes modo dat, modo Juppiter aufert.

16. *Euripides Hypsipyle.*

Nîl est supra spem. Cuncta sperari data.

17. *Bion.*

Hæc mihi trita via est. Heic qua descendere clivus

Incipit, æquoreo residens in littore canto,
Te surdam, Galatea, vocans prece. Blanda tamen spes
Me fovet ad summam non dimittenda senectam.

TITULUS CXI.

DE INSPERATIS EVENTIBUS.

1. *Euripides.*

Spes, nate, volucres sequeris, at non te simul
Fortuna: vultus illa multiplicis Dea est.

2. *Idem.*

A. Ne spes inanes fletui opponas meo.
B. At multa nec sperata proveniunt tamen.

3. *Patrocles.*

En nunc ut illa verba tot tam grandia
Fortuna in arctum tam repens compegerit.
Quid ergo sævo jurgii certamine
Minamur aliis magna mortales mala,
Manu exsequenda cuncta dum confidimus
Prorsum tuentes? interim non cernimus
Quas calamitates casus a tergo ferat.

4. *Euripides Protesilao.*

Spes vana multis sæpe quos lactat nocet.

5. *Idem Œdipo.*

Plerumque nec sperata delectant magis
Quam quæ sibi antecepit expectatio.

6. *Idem Medea, et alibi.*

Spem præter eunt vi multa Deûm:
Non proveniunt credita quamvis:
Insperatis reperere viam.

7. *Idem Alcmena.*

Fortem indue animum. Sæpe sunt a Dîs bona
Exorta hominibus unde non speraverant.

8. *Idem Alexandro.*

Spem præter, Hecuba, res agunt hominum Dei,
Nunquamque eadem fata devolvunt via.

9. *Idem Bellerophonte.*

Spem præter omnem mille sunt rerum vices:
Multos remisit sospites mare naufragum:
Multi minores hostico in certamine
In res secundas rursus enisos vides.

10. *Menander.*

Nefas viventem fari, hoc mihi non accidet.

11. *Idem Enchiridio.*

Quicquid evenit
Inexspectatum, mentem id homini expectorat.

14. *Homerus Odyssea.*

Multa cadunt, vox ut vetus est, os inter et offam.

15. *Theognis.*

Spe melius nobis succedere multa videmus:
Consilia eventu multa carere suo.

16. *Solon.*

Omnia confusis sunt plena tumultibus, et quo
Exeat inceptum non videt auctor opus.
Hinc qui sollicite momenta expendit agendi,
Imprudens magnis luctibus obruitur:
Et temere aggressis, divino munere, felix
Exitus absolvit non bona consilia.

TITULUS CXII.

NON ESSE GAUDENDUM OB ALIENAS CALAMITATES.

1. *Menander.*

Aliena nunquam te delectet calamitas:
Nam cum fortuna difficilis luctatio est.

2. *Idem.*

[d] Non esse edendum in vulgus infortunium,
Quin potius occultandum mea sententia est.

3. *Euripides Inone.*

Infelicibus
Ne durus esto, te quoque esse hominem memor.

4. *Idem Andromeda.*

Aliena nunquam nam mala irrisi, timens
Nequid mihi olim eveniat ipsi humanitus.

5. *Ibidem.*

Ne sis insolens
Ego si miser sum. Facile tu fias idem.

6. *Alexis Milesia.*

Homo sum. Humani si quid alienum arbitrer
A me, nec miseros sublevem; haud sapiam probe.

7. *Hesiodus Operibus.*

Ne cui pauperiem mortalia corda domantem
Objectes, quando dono datur illa Deorum.

8. *Sophocles Ajace.*

Dic, optio si detur, utrumne eligas,
Ut per te amicis male sit ac tibi sit bene,
An ut doloris comiter partem feras?

12. *Æschylus Agamemnone.*

Mala namque omnes gemitu faciles
Aliena sequi: sed non penetrat
Jecur atque animi secreta dolor.
Sic ut fingant gaudia, vultum
Licet invitum gaudere jubent.

13. *Philemon Retegente.*

Quod si quis salve dicat mœrenti obvius,
Salvere voce reapse flere eum jubet.

[d] Refer ad Tit. CX.

TITULUS CXIII.

INFORTUNATOS OPUS HABERE CONDOLENTIBUS.

1. *Euripides Œneo.*

Non tempus usque est. Attamen miseros juvat
Iterare luctus sæpe narrando suos.

2. *Idem Andromeda.*

Junge dolorem. Nam qui pariter
Lachrymant, miseros ex parte levant.

3. *Idem Inone.*

Agreste, lachrymas rebus alterius malis
Negare.

4. *Idem Inone.*

Dulce est amicis posse lætari simul:
At si, quod absit, ingruat sors durior,
Solatium est spectare vultus benevolos.

5. *Idem.*

Medicina nulla luctibus sævis datur
Præter boni et faventis alloquium viri.
At quisquis illo solus ægrotans malo
Cor ipse concit atque demulcet suum,
Si nunc levatur onere, cras duplum gemit.

6. *Callimachus.*

Insidunt levius mortali corde dolores,
Et de triginta partibus una perit,
Cum fidi in comitis gremium, vel denique surdos
Cum temere in ventos se dolor exonerat.

7. *Apollodorus Lacæna.*

Ita est miseriæ ingenium, ut vice sit gaudii
Cum lamentari apud eadem patientes licet.

8. *Sophocles Ajace.*

At vos, amici, namque in hoc adveneram,
Si quam potestis ferte celerantes opem:

Cedunt amicis facile qui se sic habent.

9. *Menander.*

O Dercippe et Mnesippe, cum convitiis
Excepti, aut cum vexati sumus injuriis,
Præsidium nobis tunc amici sunt boni.
Nam dum dolere sine metu ludibrii
Licet, atque adest qui ferat id familiariter
Societque luctum, tanto quisque tempore
Levatus conquiescit a sensu mali.

10. *Philemon.*

At quid rei est quod ille me visum cupit?
An, ut dolentes in valetudinario,
Apparuit cum medicus, subito dedolent,
Ita tristitate et mœstitudine obsitus
Cruciatur minus amicum præsentem intuens?

11. *Menander.*

Amici sermo grata res mœrentibus.

12. *Sophocles Thyeste.*

Hæc est voluptas maxima ex sermonibus
Oblivionem induere præsentis mali.

13. *Menander.*

Infortunatis maximum solatium est
Juxta videre qui commiserescant sui.

14. *Idem.*

Cuicunque affectum est corpus, ei medico est opus:
At cui laborat animus, is amico indiget.
Benevolus amicus medicus ægrimoniæ est.

15. *Incertus.*

Salubre blanda alloquia mœrenti viro:
At si nimis desipiat, objurgatio.

17. *Philippides Olynthiaco.*

[e] Sane haud difficile est ægrotanti dicere

[e] Refer ad Tit. CXV.

Vegetum valentem, Ne tam te habeas molliter,
Et castigare pugilem cum a pugna vaces:
At ipsum depugnare non æque est facul:
Aliud disserere est, aliud rem sentiscere.

TITULUS CXIV.

FACILIUS ESSE ALIUM ADMONERE QUAM SE IPSUM.

1. *Philemon Siculo.*

A medicis argumentum est in promptu situm,
Præcepta videas quos dare invalentibus
Victus severi, at ipsi si in morbo cubent,
Eadem illa facere quæ aliis interdixerant.
Credo una nolunt dolor esse et curatio.

2. *Idem Subsessore.*

Consulere facile est: facile non est exsequi.

3. *Euripides Alcmena.*

Aliena cuncti rectius multo solent
Dijudicare quam sua ipsorum mala.

4.

Venerare divos ne sit ejus, Phædime,
Tibi periclum facere, et e re discere
Consilia quanto demus aliis facilius.

5. *Incertus.*

Facilius est consulere quam bene perpeti.

6. *Sophocles Oileo.*

Plerumque magna præditos sapientia
Tales reperias iste se qualem gerit.
Consilia bene dant rebus aliorum malis:
At ubi levis fortuna mutato impetu
Crudeli in ipsos verbere intonaverit,
Ibi illa cuncta pulchra præcepta excidunt.

7. *Euripides Alexandro.*

A. Scio: sed dolores tempore inflecti decet.

B. Decet: at monere levius est quam perpeti.

8. *Idem Æolo.*

Eheu dolorem quis malis tantis neget?
Quis audiens tantum ista fletu temperet?

9. *Moschio.*

Celebre inter homines illud est dictum vetus:
Consilia nullus est labos aliis dare:
At ipse si lædaris animose id pati,
Onus profecto est omnium gravissimum.

TITULUS CXV.

LAUS SENECTUTIS.

1. *Euripides Phœnissis.*

Eteocles, audi: nonnihil fert commodi
Senecta secum. Multa quæ membris virens
Nescit juventus monstrat experientia.

2. *Idem Bellerophonte.*

Nate, efficaces hinc quidem juvenum manus,
Sed plus senes prudente consilio valent.
Rerum magistra quippe multarum dies.

3. *Idem Erechtheo.*

Seniliores quære consuetudines:
Solis dicatam risibus lasciviam
Contemne. Brevis est flos voluptatis malæ.

4. *Menander.*

Auferre nobis alia cum soleat dies,
Prudentiam constabilit et corroborat.

5. *Euripides Melanippa.*

Antiqua fatur dictio: juvenum quidem
Plus opera, sed consilia plus pollent senum.

6. *Idem Peleo.*

Plus, nate, senium corde juvenili valet
Maturitate mentis et vi consilî,
Inscitiamque vincit experientia.

7. *Alexis Demetrio.*

Ex parte vino non male assimilaveris
Humanum ingenium: namque uti vinum novum,
Ita juvenis animus opus est ut deferbeat
Et despumando ducat aspritudinem:
Inde ubi redierit ad sese et consederit,
Perpetua placeat lenitate in posterum.

8. *Sophocles Tyrone.*

Senium diesque longa res multas docent.

9. *Crates.*

Senectam ætatem quid mihi ut malum exprobras?
Quam non apisci vitæ pretio constitit,
Quam cuncti concupiscimus: at cum venerit,
Toleramus ægre. Tam ingrato ingenio sumus.

Ib. *Incertus.*

Vitæ cupido maxime tentat senes.

10. *Æschylus.*

Senium juventa juris observantius.

5. *Callimachus.*

Ille senectutis tempora lætus agit,
Ætas quem puerilis amat, velutique parentem
Deducunt juvenes limen adusque manu.

12. *Euripides.*

Curare juvenum possumus vitam senes,
Et ea vicissim accipere quæ juvenes habent.

13. *Hippothoon.*

Serta senectutis cani sunt pauca loquentes.

14. *Idem.*

Senio leonis cedit hinnulei vigor.

15. *Antiphanes.*

Multum senectus ad consiliandum valet,
Quoniam res vidit atque didicit plurimas.

16. *Sophocles Thyeste.*

Quamvis senex sim. Nam senectutem solent

Consilia recta mensque callidior sequi.

28. *Idem.*

Corpus senile sopiunt motus leves.

TITULUS CXVI.

VITUPERIUM SENECTUTIS.

1. *Mimnermus.*

Hunc qui pulcher erat quondam, cum canuit ætas,
Jam sua nec soboles, jam nec amicus amat.

2. *Euripides Glauco.*

Heu quam senectus multa fert secum mala,
Nec est ut ævi spatia producat senex.

Ib. *Idem.*

Non longa multis vita projecta est malis.

3. *Idem Andromacha.*

O quam senectus multa fert incommoda.

4. *Idem Æolo.*

O quam vetusta hæc veridica sententia est:
Omnes senili ætate plebs tantum sumus
Umbræque rerum somniûmque imagines:
Cum nos putemus sapere mens nobis abest.

5. *Idem Œnomao.*

Inominatam qui senectutem assequi
Mortalis optat, non sibi bene consulit:
Nam longa vita mille mœstitias parit.

6. *Idem.*

Quanta, senectus, spe boni homines allicis?
Ad te venire nemo non avide cupit,
Sed vota damnat súa, periclum qui facit,
Quam nil deterius exstat ætate gravi.

7. *Idem Melanippa.*

Vox est senex et umbra, præterea nihil.

8. *Menander.*

Molesta longa vita est: o senium grave,
Quam nihil omnino fers boni viventibus,
Mala multa et luctus. Attamen te attingere
Optamus omnes atque concupiscimus.

9. *Idem Æraria.*

Sene est amante nihil infortunatius,
Nisi forte amator alter æquævus senex:
Nam qui ea potiri concupiscit a quibus
Ipsum arcet ætas, quomodo non sit miser?

10. *Theognis.*

Non ego pauperiem metuo, nec deprecor hostes
Qui nomen celebrant per maledicta meum:
Sed me flere jubet fugiens formosa juventas,
Et veniens tremulo curva senecta gradu.

11. *Idem.*

Hei mihi pubertas dulcis, tristisque senectus,
Quod fugit illa a me, quod venit ista mihi.

12. *Pherecrates.*

O quam senectus tristis es mortalibus
Et tædiosa, vel ob hoc præter cætera,
Quod cum deficiunt vires ac valentia
Sapientiam tum primum nos doctum venis.

Ib. *Idem.*

Frustra me ætatis huc jam provectum incitas
Ut me tricosis implicem negotiis.
Ego me cum florerem annis præviridantibus
Sapere putabam insipiens, et quæque ut mihi
Se dabat in mentem res extemplo erat in manu:
Nunc sapere mihi concedit extima ævitas.

13. *Antiphanes.*

Vino persimilis ætas est mortalium:
Utrumque acescit minimo cum superest sui.

14. *Idem.*

Senectus veluti stabulum est: nam quicquid mali
Humana recipit vita, in illam confluit.

15. *Idem.*

Aram malorum jure senectutem voces:
Namque ad eam sese recipit quod ubique est mali.

16. *Idem.*

Eheu! senectus, qui tibi maledicere
Quærunt, materiam his quam suppeditas uberem?

17. *Philemon.*

A. Syra, heus Syra. *S.* Hem! quid me vis? *A.* Ut vero vales?
S. Nunquam istud percunctare senem si videris
Anumve: quippe liquido non recte valent:
Hoc superindictum quadrat: e re sit mori.

18. *Herodes Mimiambis.*

Languore curvat me senecta detractum,
Nec me magis quam corpus umbra dimittit.

19. *Alexis.*

Jam mea versatur vita circa vesperam.

20. *Menander.*

Molestum pecus est desidens domi senex.

21. *Herodes Mimiambis.*

Emensus ævi sexies decem soles,
O Grylle, Grylle, moritor et cinis fias:
Cæcum est quod hæc post spatia restat ætatis.
Nam jam retusus ipse fulgor est vitæ.

23. *Antiphanes Epiclero.*

Senectus quam tu es omnibus mortalibus
Amabilis et cupita; sed cum veneris,
Infesta, tædiosa! benedicit tibi
Nemo: qui sapiunt differunt te pipulo.

24. *Herodes Miambis.*

Mulier, hebescit, cum nives caput spargunt,

Et mentis acies.

25. *Chæremon.*

Ad temperandam non valent iram senes.

26. *Incertus.*

Nemo res patrias abligurivit senex,
Aut æs nequitia exhausit, aut meretriculam
Redemit, aut in jus iit ob fractas fores:
Adeo frugi est senectus, et misera est tamen.

27. *Menecrates Samio.*

Quærimus absentem: præsentem plangimus: et quæ
Ventura est nobis sola senecta placet.

28. *Incertus.*

Longa calamitas nulla major est vita.

29. *Sophocles Scyriis.*

Adsunt senectæ multa simul incommoda,
Mens vana, cura inefficax, labor irritus.

30. *Sophron.*

Tabe corpora macerat
Tædiosa senectus.

31. *Crates.*

Me tempus incurvavit, egregius faber,
Sed qui imbecilliora reddit omnia.

32. *Diphilus Puteo.*

Amice, tempus pravus est quidem artifex
Reformans omnia in deteriorem statum.

33. *Mimnermus Nannis.*

Immortale malum tibi dat, Tithone, senectam
Juppiter: ipsa minus Mors, mihi crede, malum est.

34. *Ibidem.*

Ac veluti subito somnia prætereunt,
Sic et pulchra juventa: malis onerata senectus
Impendens capiti fœda supervolitat,
Contemtumque odiumque ferens ingloria, circum
Cum noxa mentem volvitur atque oculos.

35. *Apollodorus Lacæna.*

Annos seniles ne, Philine, spreveris,
Ad quos pervenies et tu vivendo diu.
Sed unum est in quo a vobis patres vincimur:
Nam si qua in re minus indulgemus, illico
Audimus, Non fuisti juvenis tu quoque?
At contra genitor nato morigero minus
Haud est ut dicat, Non fuisti et tu senex?

36. *Euripides Phœnice.*

Quantum es mali, senecta, te gestantibus!

37. *Idem Andromacha.*

Facit remissos languor ætatis senes,
Sed et molestos morbus iracundiæ.

38. *Idem Æolo.*

Aut dona Veneris abdicant ultro senes,
Aut senis amores ipsa fastidit Venus.

39. *Sophocles.*

At nemo vitam tantum amat quantum senes.

TITULUS CXVII.

PRUDENTIAM SENECTUTIS TOLLERE MOLESTIAM, IPSAMQUE EFFICERE MULTA REVERENTIA DIGNAM.

1. *Incertus.*

Boni senectus comis accessu viri.

2. *Anaxandrides.*

Non est senectus, ut tu, pater, existimas,
Onus adeo difficile: sed qui fert eam
Minus decore, ipse impedimentum est sibi.
At contra facilem reddit ac tractabilem,
Qui placide illius moribus se accommodat,
Tristitiam demens atque apponens gaudium.
Male qui fert, sibi perpetuam mœstitiam parit.

3. *Sophocles Eriphyle.*

Famam senilem crede tutandam tibi.

4. *Idem.*

Non est senecta quæ sapit grandævitas
Cui mens relucet pasta divina die.
Ingens hominibus quæstus est prudentia.

TITULUS CXVIII.

DE MORTE, ET EAM ESSE INEVITABILEM.

1. *Æschylus.*

Nescit Deûm Mors una muneribus capi:
Non sanguis illi, non merum templo fluit,
Non dulce resonat carmen, aut aræ calent.
Hanc quippe solam Suada non novit Deam.

2. *Homerus Iliade.*

Quærere oves pretio possis, et bucera sæcla,
Et tripodas claros, et equos cervice jubata:
At non vita potest ulla ratione parari
Cum vallata semel migrârit dentibus ora.

3. *Philetas Mercurio.*

Qua remeare via
Non licuit cuiquam, penetravi limen ad Orci.

4. *Incertus.*

Infernas ad Ditis aquas vox transit inanis:
Triste silent umbræ: caligant lumina nocte.

5. *Simonides.*

Et divitias et virtutes
Consumit iners una vorago.

6. *Idem.*

Mors et fugacem persequitur virum.

7. *Sositius.*

Post animæ fugam
Dissolvitur corpus relictum.

8. *Euripides Ægeo.*

Morti debitus
Etiam laborum qui sedet liber domi.

9. *Phocylides.*

Omnia mors æquat. Solus Deus imperat umbris.
Et tam pauperibus sedes quam ditibus una est.

10. *Menander Gubernatore.*

At certe venum non datur immortalitas,
Nec si talenta Tantali possederis,
Sed occubandum est: illa linquenda alteri.

11. *Sophocles.*

Corpus senile sopiunt motus leves.

12. *Incertus.*

Mortalis amens qui nimis mortem timet:
Fortuna totum hoc verset arbitrio suo:
Suprema nam cum venerit vitæ dies,
Jovis ipsa templa si petas, nulla est fuga.

13. *Anacreon.*

Mihi jam senile canis
Caput albicat capillis:
Abiit decor juventæ,
Seniumque dens fatetur:
Neque grande dulcis ævi
Spatium mihi relictum est.
Ideo subinde mœstum
Gemo Tartarum expavescens.
Mala et horrida est subiri
Jovis inferi caverna:
Neque eo profectus unquam
Potuit pedem referre.

14. *Euripides Alcestide.*

Mortem subire certa lex mortalibus:
Nemo futuræ sortis est tam conscius
Ut polliceri crastinum possit sibi.

15. *Diphilus.*

Cum sis mortalis genitus ne paveas mori.

16. *Aristophanes Polyide.*

Mortem timere maxima est amentia,
Nam fati lex est quicquid est genitum mori.

17. *Posidippus Formica.*

Res inter omnes quas Deos exposcimus
Locum meretur principem immortalitas.

22. *Aristoteles.*

Fato manet quodcunque vitari nequit.

TITULUS CXIX.

VITÆ LAUS.

1. *Euripides Alcestide.*

Frustra precando flagitant mortem senes
Curricula vitæ longa culpantes suæ.
At cum tremente Mors propinquavit pede,
Iterum allubescit vita nec senium grave est.

2. *Idem Oreste.*

Lucis aspectu benigno gaudet et servus frui.

3. *Ibidem.*

Cogit sui homines vita commiserescere.

4. *Ibidem.*

Suavius lucem tueri, quam mori prudentibus.

5. *Idem Iphigenia.*

Juvat hoc tueri dulce mortales jubar,
Apud inferos nîl. Qui mori properat, furit:
Modesta melior vita quam pulchre mori.

6. *Sophocles Jobata.*

Nam sacra regna Ditis
Nec ipsa amat senectus.

7. *Idem Acrisio.*

Amare vitam nemo plus senibus solet.

8. *Euripides Hippolyto.*

O lucide æther, Solis o purum jubar,
O quam beatos vester aspectus juvat,
Hominesque miseros pariter, inter quos ego!

9. *Idem Meleagro.*

Mihi vita dulcis: inferûm nigra est domus
Cui nemo semel inclusus in lucem redit.
Ego, nata quamvis nobili inprimis domo,
Orcum reformido et velim nunquam mori.

10. *Idem.*

Nil repperiri carius vita potest.

11. *Homerus Odyssea.*

Malim equidem duro rus exercere labore
Paupere sub domino tenuis cui copia victus,
Quam late populos inter regnare silentum.

12. *Sophocles.*

O nate, vita munus est dulcissimum:
Namque homini eidem bis datum non est mori.

13. *Lycophron Pelopidis.*

Mortem remotam poscit ardenti prece
Quemcunque dura clade fortuna opprimit.
At cum supremus volvitur fluctus, redit
Vitæ cupido: non enim satias tenet.

14. *Apollodorus Aberrante.*

Miserabar juvenis olim acerba funera:
At nunc quoties intueor exsequias senis,
Id lachrymo. Nam mox eadem me spectat via.

15. *Alexis.*

Vitæ ultima
Decurrens spatia adhuc cupisco vivere.

TITULUS CXX.

LAUS MORTIS.

1. *Euripides Troadibus.*

Audi tuo animo quod feram solatium:
Hæc esse dico paria, non nasci et mori.

2. *Aristarchus.*

O mors, superbis sola quæ frænum injicis.

3. *Chalcidamas.*

Optima sors homini non edi in luminis oras,
Aut natum subito penetralia Ditis adire.

4. *Theognis.*

Optima sors homini natum non esse, nec unquam
Aspexisse diem flammiferumque jubar.
Altera jam genitum demitti protinus Orco,
Et pressum multa mergere corpus humo.

5. *Neoptolemus.*

Nostra in sponte fores, te protinus eligerem, Mors,
Infestæque licet tibi me profiterer amicum.

6. *Euripides Heraclidis.*

Si quid est apud inferos,
Quod ne sit utinam. Namque si functos nece
Curæ sequuntur atque sollicitudines,
Non video quæ præsidia captemus, malis
Quando remedium creditur cunctis mori.

7. *Sophocles Philoctete.*

Mors ultima est medicina morborum omnium.

8. *Menander Bis fallente.*

Flore in juvenili moritur quem Dî diligunt.

9. *Leonides.*

Ad inferorum regna deducens iter
Securus intra: quippe non concædibus,
Non tortuosis impedita anfractibus,

Sed tota recta, tota declivis via est,
Et inveniri prona vel cæco gradu.

10. *Euripides Philoctete.*

Satis est: jam desine vita,
Ante meas nova quam
Sors populetur opes,
Aut morbo membra fatiscant.

11. *Sotades.*

Mors certa quies omnibus, unicusque portus.

12. *Æschylus.*

Ne, ne tuum, oro, Mors, repellas supplicem:
Tu sola desperata medicaris mala:
A te receptos nullus attingit dolor.

13. *Hypsæus.*

Ætate moritur juvene quem dî diligunt.

14. *Sophocles Trachiniis.*

Hoc me mori debere, non aliud notat.
Nam morte functos nullus assequitur labos.

15. *Astydamas Nauplio.*

Salve: salutis si quid est apud inferos.
Reor esse. Nam quo nullus accedit dolor,
Ibi sat salutis est malorum oblivio.

16. *Ion Agamemnone.*

Absit malis mors ut sua aspiciat mala.

17. *Euripides.*

Homini expedit non esse quam nasci magis.

18. *Idem Phryxo.*

Quis scit morine vivere atque hoc vivere
Quod nos vocamus sit mori? hoc certe liquet:
Morbis laborat vita: qui summum diem
Obiit, miseriis pariter et morbo vacat.

21. *Julius Carmine in Bacchum.*

Indecorem vitam laudatæ gloria mortis
Vincit, et egregium tali est occumbere letho.

22. *Euripides Cresphonte.*

Nam nos decebat, celebre cum cœtu, modo
Lugere genitum tanta qui intraret mala:
At qui labores morte finisset graves,
Hunc laude amicos atque lætitia exsequi.

23. *Incertus.*

Ad sacra Junonis matrem Cleobisque Bitonque
Ut traherent, collum supposuere jugo.
Felicem populi natûm pietate parentem
Concelebrant. Gaudens tum rogat illa Deam,
Ut quæ sors esset fortunatissima natis
Pro matri exhibito redderet obsequio.
Ast illi vitam liquere virentibus annis:
Non igitur felix sors datur illa magis.

TITULUS CXXI.

COMPARATIO VITÆ ET MORTIS.

1. *Simonides.*

Mors quippe longos temporum tractus habet:
At illud heic quod occupat
Vita breve est spatium.

2. *Euripides Troadibus.*

Nate, interire non idem est quod vivere.
Mors quippe nihil est: spes at in vita manent.

3. *Simonides.*

Breve mortalis spatium vitæ.
Dein clausus homo tellure jacet
Tempus in omne.

4. *Antiphanes Duplis.*

Nemo unquam, here,
Moriendi cupidus vitæ imposuit terminum:
Sed avidos vitæ pedibus Orcus detrahit

Restantes frustra: ét epulis a Saliaribus
Opibusque opimis ad sacras sedes rapit.

Ib. *Incertus.*

Contra immortalitatem medicina est fames.

5. *Menander Fratrem amantibus.*

Quam dulce vita est si quibuscum maxime
Cupias ætatem, non tibi soli exigas!

6. *Idem.*

Dulce est mori,
Cui vivere non est ex animi sententia.

7. *Idem Supposititio.*

Hunc credo felicissimum
Qui cum spectarit, Parmeno, placide Deûm
Augusta dona, redit eo unde venerat:
Jubar, inquam, Solis publicum, nubes, aquas,
Ignem. Namque annos quamvis centum vixerit,
Eadem videbit: sitque licet ætas brevis,
Tamen istis nihil est conspicari pulchrius.
Mercatum crede tempus hoc quod vivitur,
Cujus visendi peregrinamur gratia.
Forum ibi, tumultus, fures, colloquia, alea.
Abis si primus, hoc viaticatior
Divertes melius: eris infestus nemini.
At qui subsistit, is delassatus perit,
Et male senescens aliquam egestatem incidit:
Vexatur, hostes reperit, insidias subit.
Longævus nunquam facili morte fungitur.

8. *Philemon.*

Satius mori quam vivere infeliciter.

9. *Sophocles.*

Non esse præstat quippe quam luctus pati.

10. *Menander.*

Quoties senex est aliquis et victi indigens,
Non durum est mortem oppetere: sed cum faciliter

Vita agitur, tunc utriusque discrimen patet.

11. *Idem Epiclero.*

Tanquam in choro
Non cantant omnes, adstant sed cantantibus
Silere jussi duo, tres, extremo ordine
Nihil nisi numeri. Ita se et ista res habet,
Locum implent alii, vivunt queis vita obtigit.

12. *Euripides.*

Ego si quis antehac captus oculorum orbibus
Pedes per urbem regeret aliena manu,
Non desinebam arguere socordem metum
Quod abstineret morte tantam miseriam.
Nunc quo volutus in meas sententias
En ipse pecco. Misera gens mortalium
Quam cupida vitæ! posteram semper lubet
Lucem tueri, mille quæ vectat mala.
Tantos amores vita hominibus suscitat.
Nam vita quid sit scimus: at mortis rudes
Ideo timemus linquere hoc Solis jubar.

13. *Apollodorus Adelphis.*

[f] Vita otiosa plena beatitudinis
Si cum otiosis aliis vitam transigas.
Cum simiis ferisque agentem, simiam
Fieri necesse est: o vitam ærumnabilem!

14. *Idem Fidicine.*

Non cuncta Phryx sum, crede. Si vita mihi
Mori esse videam melius, hoc ipsum eligam.

15. *Euripides Erechtheo.*

Mihi illi morte qui pulchra jacent,
Quam vita quorum turpis est, vivunt magis.

16. *Æschylus Ixione.*

Vita notata labe mors illustrior.

[f] Refer ad Tit. LVIII.

17. *Idem.*

Laboriosa ætate mors felicior.
Non esse melius quippe quam nasci puto,
Si sæva sunt toleranda.

18. *Aristophanes.*

Unde etenim quæso diceretur Dispiter,
Nisi opimus opibus esset? hinc etiam accipe
Quanto infera superent superi divitias Jovis:
Nam si instituas examen, quod plenum est libræ
Vergit deorsum, vacua pars spectat Jovem.
Nec collocare credo mos esset sitos
Subter super unguentatos, vinctos floribus,
Nisi bibendum protinus esset mortuis.
Hinc est eosdem quod beatos dicimus.
Etenim, Beatus, inquiunt, obiit diem,
Felix ille obdormivit: nîl dolet amplius.
Quin et cruore victimarum Manibus
Tanquam Dîs facimus et sacro libamine
Venerantes, multa nobis ut mittant bona.

19. *Menander.*

Quid mortuus
Boni habeat cum viventes habeamus nihil?

20. *Euripides.*

Beatus esset morte quam vita magis:
Nam non honeste vivere infaustus labor.

21. *Sophocles.*

Quicunque vitam rebus in miseris amat,
Aut timidus ille est, aut dolore occalluit.

22. *Idem Ajace.*

Optare vitæ spatia longævæ viro
Deforme, nullum cui levamentum est malis.
Nam quid diei rursus et rursus dies
Adjecta prodest, amplians semper mori?
Me judice ille nullius pretii est homo

Cui spes inanis credulam mentem fovet.
Pulchram agere vitam, nobilem, aut pulchre decet
Obire: habes quodcunque dicendum fuit.

23. *Æschylus Armorum judicio.*

Vitam in miseriis agere quos luctus parit?

24. *Euripides Pirithoo.*

Indecore vita satius est non vivere.

25. *Idem.*

Viventibus te impende. Nam qui est mortuus
Humus est et umbra. Nîl quod erat in nîl abit.

TITULUS CXXII.

DE LUCTU.

1. *Bacchylides Hymnis.*

Majus luctu venit nobis,
O nate, malum: farique vetat.

2. *Æschylus Heraclidis.*

Nam majus aliud patiar hoc nunquam malo.

3. *Solon.*

Ne mihi sit lethum planctu sine: sed mea tristes
Funera amicorum condecorent lachrymæ.

4. *Euripides Troadibus.*

Quam dulcis est res luctus assuetis malo,
Modique tristes atque lamentatio!

5. *Homerus Odyssea.*

Namque honor hic functis misero mortalibus ævo,
Tonderi caput et lachrymas effundere salsas.

6. *Idem Iliade.*

Nos Patroclum ploramus, honos qui morte peremtis.

7. *Euripides Archelao.*

Est et lachrymis mixta voluptas,
Cum quis amici casus animo
Miserante gemit.

8. *Idem Œnomao.*

Etiam voluptas rebus afflictis sua est,
Genæ madentes atque lamentatio.
Namque ista minuunt cordis anxietudines,
Æstuque nimio pectus obsessum levant.

9. *Idem Phryxo.*

Cor hominibus natura tam tenerum dedit,
Ut jure quis sit cæsus, haud minus hoc suos
Sibi quisque ademtos prosequi lachrymis amat.

10. *Sophocles Teucro.*

Nate, quam mendax tui
Me fama casso mulsit oblectamine
Vivum ut putarem! sed fera imposuit mihi
Tenebricosa Furia falsis gaudiis.

11. *Idem.*

A. Illi peremto commori cupio miser.
B. Sequêre. Ne tu accerse quod fato manet.

12. *Philemon.*

Quid proficis? nec hilum: at interea tamen
Ut arbor poma, sic dolor lachrymas parit.

TITULUS CXXIII.

DE SEPULTURA.

1. *Euripides Polyide.*

Stulta mens mortalium
Non sentientes sumtibus Manes colit.

2. *Menander Perinthia.*

Nunquam laudavi sumtuosum mortuum:
Namque in idem cum vili atque contemto redit.

3. *Moschio.*

Permittite ergo mortuos terra tegi,
Et unde nostræ quodque naturæ est datum
Eo reverti. Magnus æther spiritum,

Corpus recipiat terra: non est proprium
Hoc quippe nobis, sed datum in vitæ diem:
Parens et altrix jure mox repetit suum.

4. *Euripides Andromeda.*

Exanime terra quod tui positum, colunt.
Res vana. Nam qui vivit, est felix, Creon.

5. *Laon Testamento.*

Monumenta spernens posthuma atque imagines,
Habere cupio vita quod dicat suum.

6. *Homerus Odyssea.*

Et tumulum facere et tumulo superaddere justa.

7. *Idem Iliade.*

Ut funus decorent fratres charique sodales
Et tumulo et saxo. Nam præmia Manibus hæc sunt.

8. *Idem.*

Sed tumulare decet fatali sorte peremtos
Forti animo: nec flere die fas amplius uno.

TITULUS CXXIV.

CONSOLATORIA.

1. *Homerus Iliade.*

Parce, nec immodico vasta tua pectora luctu:
Nam nîl proficies nati fera fata dolendo:
Illum non revocas et te premit altera clades.

2. *Idem.*

Quid juvet, exanimem vacua si lugeat alvo
Gens Danaûm?

3. *Idem.*

Quin propiora hominem non raro funera tangunt,
Seu fratrem sepelit, seu dulcia pignora natos.
Et tamen ille etiam lachrymis mœstoque dolore
Abstinuit. Patiens homini cor Fata dederunt.

4. *Idem.*

Ipsa dapes olim Niobe pulcherrima sumsit,
Cum bissena suæ numeraret funera prolis,
Sex juvenes, totidem primævo flore puellas.

5. *Simonides.*

Nos de peremtis cura, si pectus sapit,
Mordebit una non diutius die.

6. *Menander.*

Quo omnes venere, nos exspectat terminus.
Ferenda, amice, sunt mala istiusmodi;
Humana humane, communia communiter.

7. *Euripides Inone.*

Quæ sors sit hominum disce, nec nimium dole:
Mihi crede, non tu sola conflictas malis.

8. *Idem Protesilao.*

Tulit ille quod te pariter atque omnes manet.

9. *Theognis.*

Vix patienda quidem patimur. Patiare tamen, cor:
Pectoris ignavi est dura nequire pati.
Nil profecturos nec alas in mente dolores,
Teque et amicorum pectora discrucies
Hoste tuo gaudente. Deûm fatalia dona
Mortalis genitus non facile effugias.

10. *Philetas Lucibus.*

Lugens ex animo modice dic suavia dicta,
Defuncti nec sis immemor interea.

11. *Idem Epigrammatibus.*

Non ego te miseror, carissime: nam bona multa
Cum dederit, partem dat tibi Parca mali.

12. *Euphorion.*

Lugeat, at modice, defunctum mœstus amicum,
Et fleat, at modice. Nam queis sine fletibus ora,
Servantur Diris ultricibus.

13. *Homerus Odyssea.*

Brevis satiaverit hora dolores.

14. *Idem.*

Injunxere Dei miseris mortalibus ævum
Vivere sollicitum, cum sint sine luctibus ipsi.

15. *Stesichorus.*

Nam defunctos lugere modo
Fructuque vacat.

16. *Euripides Melanippa.*

Quid interemtos, interemtos non sinis?
Quid tibi repetitur jam sat effusus dolor?

17. *Sophocles Scyriis.*

Humana luctu si levarentur mala,
Lachrymæque vitam redderent silentibus,
Tum fletus auro carior merito foret:
Nunc illud autem, mi senex, fieri nequit
Ut jam sepultus redeat in lucis viam.
Sin posset, emtus lachrymis dudum pater
Mihi redisset.

18. *Philemon Sardio.*

Lamenta nostris si mederentur malis,
Et possent fletu deliniri miseriæ,
Auro licerent contra et pluris lachrymæ.

19. *Timocles.*

Advorte sodes nunquid ex usu loquar.
Miserum suapte natura animal est homo,
Et vita quanta quanta est scatet incommodis:
Lenimenta ideo curis et solatia
Sibi ipsa reperit. Namque mens proprii mali
Oblita, alienis dum se mulcet miseriis,
Doctrinam pariter cum voluptate imbibit.
Primum tragœdos, si placet, considera
Quam pulchra dent documenta. Nam qui pauper est,
Ubi pauperiorem se cognovit Telephum,

Ibi paupertatem fert suam patientius.
Lymphatur aliquis: Alcmæonem conspicit.
Oculis laborans cæcos Phinidas videt.
Natum effert alius: Niobe lugentem levat.
Dolet hic se claudum: sed Philoctetem videt.
Miser in senecta est: intuetur Œneum.
Ita quisque, dum evenisse majores suis
Olim aliis calamitates secum cogitat,
Animo æquiore fert Fortunæ injurias.

20. *Euripides Alexandro.*

Mala flere vetera lachrimis noli novis.

21. *Philippides.*

Tempus communis medicus tibi medebitur.

22. *Menander.*

Tempus malorum quæque fert necessitas
Communis medicus et tibi medebitur.

23. *Homerus.*

Quonam hic usque manet luctus, quo fine dolendo,
Nate, tibi cor mœstus ades?

24. *Scriptor Aurei carminis.*

Vitæ parce tuæ, nec eam consume dolendo.

25. *Diphilus.*

Omni medetur longa tristitiæ dies.

26. *Philetas Cerere.*

Hoc fiet, labente die, Jove dante dolores
Quæ coquit et luctus sola levamen habet.
Sæpe aliquis duro satiatus pectora luctu
Tristitiam fesso depulit ex animo.

27. *Antiphanes Veneralibus.*

Lugere amicos luctu moderato decet:
Nec enim perierunt, sed eam quam necessitas
Indixit cunctis antevorterunt viam:
Et nos citati mox suo quisque ordine
Cogemur omnes in idem diversorium,

Pariterque cum illis ævum agemus alterum.

28. *Euripides Andromacha.*

De morte functis parce mœrore affici.
Nam dicta in omnes a Diis sententia est,
Communis unde mortis est necessitas.

29. *Idem Temenisi.*

Quos nutrit homines Terra, mors omnes manet:
Communis est natura. Patiendum quod est
Commune. Fatò quod caret, fato est minus.

30. *Archilochus.*

Qui nimium, Pericles, semper meminere malorum,
Non hos hausta juvant pocula, non epulæ.
Illos æquorei merserunt gurgitis undæ:
At nimio nobis pulmo dolore tumet.
Una data est Superûm dono medicina malorum,
Scilicet invicti durities animi.
[g] Hic mala nunc, nunc alter habet. Jam respicit ad nos,
Fessa cruentamus viscera qui gemitu.
Mox alios sors ista manet. Durate ferendo
Interea, et luctu parcite fœmineo.

TITULUS CXXV.

IN DEFUNCTOS NON EXERCENDAM ESSE CONTUMELIAM.

1. *Homerus Iliade.*

Sævit enim in surdam tellurem percitus ira.

2. *Idem Odyssea.*

Insultare nefas fatali sorte peremtis.

3, 4. *Moschio Pheræis.*

Sævire in umbram vanus est animi furor.
Punire vivos fas sit, exanimes nefas.

[g] Olim: *Nunc ille hanc.*

5. *Archilochus.*

Mortuis convitiari non sinit fas et pium.

6. *Euripides Antigona.*

Mors jurgiorum finis est mortalibus:
Nam majus aliud quid potest letho dari?
Molem quis autem saxeam hasta verberans
Cieat dolorem, mortuumve injuriis
Frustra lacessens nulla sensurum mala?

7. *Æschylus Hectore.*

Fato peremtis tu bene an facias male
Ipsis perinde est atque tantumdem valet,
Qui nec dolores sentiunt nec gaudia.
At magna Nemesis plus ope humana valet:
Pœnas reposcit illa defuncti vicem.

8. *Dionysius Sospitatrice.*

Mors est sequestra litium: nam qui prius
Odêre, eidem morte defunctos amant.

9. *Euripides Phœnissis.*

Fas namque poscit mortuis non mortuos
Officia facere manium reverentia.

10. *Timocles.*

Benigna sequitur mortuos miseratio:
Vivos malignum numen invidentia.

11. *Sophocles Larissæis.*

Mortuis vivos decet
Auxilia ferre, quippe morituros item.

12. *Mimnermus Neoptolemo.*

Omnes viris solemus excellentibus
Livere vivis, mortuis laudem dare.

13. *Sophocles Ajace.*

Menelae, post tot dicta sapienter, cave
Injuriosus sis in hominem mortuum.

14. *Moschio.*

Quænam voluptas mortuos incessere

Mutamque glebam voce probrosa insequi?
Namque ille tristis atque jucundi arbiter
Cum sensus hominem destitutum liquerit,
Exanime restat corpus, ut surdus lapis.

TITULUS CXXVI.

MEMORIAM PLURIMORUM A MORTE STATIM EVANESCERE.

1. *Euripides.*

Præstat sepulchris nemo amicitiæ fidem.

2. *Incertus.*

Etiam secunda fama exanimes deserit.

3. *Sophocles Ajace.*

O quam celeriter ante partæ gratiæ
Præcipite cassos luce destituunt fuga!

4. *Archilochus.*

Nemo post mortem secundis civium rumoribus
Tollitur. Viventium omnes gratiam qui vivimus
Aucupamur. Destituti luce, tractantur male.

5. *Stesichorus.*

Vita carentis interivit gratia.

6. *Euripides.*

Quam durus hic est moribusque inhospitis,
Queisque usus ante est nunc amicorum immemor!

7. *Idem.*

Rara in sepultos, rara et in superstites
Fides amica. Namque plus pollent opes
Pietate: et illa quondam in oculis gratia
Simul interit cum funus effertur domo.

8. *Incertus.*

Diesque celat omnia atque oblitterat.

INDICES.

I.

INDEX TITULORUM SIVE CAPITUM.

Περὶ Ἀδικίας καὶ Φιλαργυρίας Tit. x.
Περὶ Ἀδολεσχίας Tit. xxxvi.
Περὶ Αἰδοῦς Tit. xxxi.
Περὶ Ἀκολασίας Tit. vi.
Περὶ Ἀκρασίας Tit. xviii.
Περὶ Ἀληθείας Tit. xi.
Περὶ Ἀναιδείας Tit. xxxii.
Περὶ Ἀνδρίας Tit. vii.
Περὶ Ἀνεξικακίας Tit. xix.
Περὶ Ἀπορρήτων Tit. xli.
Περὶ Ἀργίας Tit. xxx.
Περὶ Ἀρετῆς, καὶ τίνα τρόπον κατὰ ἀρετὴν βιωτέον Tit. i.
Ὅτι κρείσσονες οἱ Ἄρσενες τῶν παίδων, καὶ ὅτι τοὺς νόθους οὐκ ἐλάττονας χρὴ κρίνειν τῶν γνησίων Tit. lxxvii.
Περὶ Ἀρχῆς καὶ τοῦ ὁποῖον χρὴ εἶναι τὸν ἄρχοντα Tit. xlvi.
Περὶ Ἀσωτίας Tit. xv.
Ὅτι οὐ χρὴ ἐπιχαίρειν τοῖς Ἀτυχοῦσι Tit. cxii.
Ὅτι οἱ Ἀτυχοῦντες χρήζουσι τῶν συμπασχόντων Tit. cxiii.
Περὶ Ἀφροδίτης πανδήμου παρεχούσης τὴν αἰτίαν τῆς γενέσεως τοῖς ἀνθρώποις, καὶ περὶ ἔρωτος τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἡδονῶν Tit. lxiii.
Ψόγος Ἀφροδίτης, καὶ ὅτι φαῦλος ὁ ἔρως, καὶ πόσων εἴη κακῶν γεγονὼς αἴτιος Tit. lxiv.
Περὶ Ἀφροσύνης Tit. iv.
Ὑποθῆκαι περὶ Βασιλείας Tit. xlviii.
Περὶ τοῦ Βίου, ὅτι βραχὺς καὶ εὐτελὴς καὶ φροντίδων ἀνάμεστος Tit. xcviii.
Περὶ Βραχυλογίας Tit. xxxv.
Ὅτι οὐκ ἀγαθὸν τὸ Γαμεῖν Tit. lxviii.
Γαμικὰ παραγγέλματα Tit. lxxiv.
Ὅτι ἐν τοῖς Γάμοις τὰς τῶν συναπτομένων ἡλικίας χρὴ σκοπεῖν Tit. lxxi.
Ὅτι ἐν τοῖς Γάμοις, οὐ τὴν εὐγένειαν, οὐδὲ τὸν πλοῦτον χρὴ σκοπεῖν, ἀλλὰ τὸν τρόπον Tit. lxxii.
Ὅτι κάλλιστον Γάμος Tit. lxvii.
Ὅτι τοῖς μὲν ἐπωφελῆ τὸν Γάμον, τοῖς δὲ ἀσύμφορον, ὁ τῶν συναπτομένων ἀπετέλεσε τρόπος lxix. Tit.
Περὶ Γεωργίας ὅτι ἀγαθὸν Tit. lvi.
Περὶ Γεωργίας εἰς τὸ ἐναντίον Tit. lvii.
Ἔπαινος Γήρως Tit. cxv.
Ψόγος Γήρως Tit. cxvi.
Ὅτι τὸ Γῆρας ἀνεπαχθὲς καὶ πολλῆς αἰδοῦς ἄξιον ἡ σύνεσις ἀπεργάζεται Tit. cxvii.
Περὶ τοῦ Γνῶθι σαυτόν Tit. xxi.
Ὅτι χρὴ τοὺς Γονεῖς τῆς καθηκούσης τιμῆς καταξιοῦσθαι παρὰ τῶν τέκνων, καὶ εἰ ἐν ἅπασιν αὐτοῖς πειστέον Tit. lxxix.
Περὶ Γραμμάτων Tit. lxxxi.
Περὶ Γραμμάτων εἰς τὸ ἐναντίον Tit. lxxxii.
Ψόγος Γυναικῶν Tit. lxxiii.

Περὶ Δειλίας Tit. viii.
Περὶ Δεσποτῶν καὶ Δούλων Tit. lxii.
Περὶ Διαβολῆς Tit. xlii.
Περὶ Δικαιοσύνης Tit. ix.
Περὶ τῶν ἐν πόλεσι Δυνατῶν Tit. xlv.
Περὶ Δυσγενείας Tit. xc.
Περὶ τῶν παρ' ἀξίαν Δυστυχούντων Tit. cvii.
Περὶ Ἐγκρατείας Tit. xvii.
Περὶ Εἰρήνης Tit. lv.
Περὶ Ἐλπίδος Tit. cx.
Περὶ τῶν παρ' Ἐλπίδας Tit. cxi.
Περὶ Ἐπιορκίας Tit. xxviii.
Ὅτι Εὐγενεῖς οἱ κατ' ἀρετὴν ζῶντες, κἂν μὴ λαμπρῶν ὦσι γεγονότες πατέρων, καὶ ἀγαθοὶ τὸν τρόπον Tit. lxxxvi.
Ὅτι Εὐγενεῖς οἱ ἀπὸ χρηστῶν πατέρων ἢ δυνατῶν ἢ ἐνδόξων γενόμενοι Tit. lxxxviii.
Ὁποῖον χρὴ εἶναι τὸν Εὐγενῆ Tit. lxxxix.
Περὶ Εὐδαιμονίας Tit. ciii.
Περὶ τοῦ Εὐκαίρως λέγειν Tit. xxxiv.
Ὅτι ἀβέβαιος ἡ τῶν ἀνθρώπων Εὐπραξία, μεταπιπτούσης ῥαδίως τῆς τύχης Tit. cv.
Περὶ τῶν παρ' ἀξίαν Εὐτυχούντων Tit. cvi.
Ὅτι δεῖ τὰς μὲν Εὐτυχίας προφαίνειν, τὰς δὲ ἀτυχίας κρύπτειν, καὶ ὀρθῶς κεχρῆσθαι τοῖς παροῦσι Tit. cix.
Ἔπαινος Ζωῆς Tit. cxix.
Σύγκρισις Ζωῆς καὶ Θανάτου Tit. cxxi.
Περὶ Ἡσυχίας Tit. lviii.
Περὶ Θανάτου, καὶ ὡς εἴη ἄφυκτος Tit. cxviii.
Ἔπαινος Θανάτου cxx.
Ὅτι τῶν πλείστων μετὰ Θάνατον διαρρεῖ ταχέως ἡ μνήμη Tit. cxxvi.
Περὶ Θεῶν καὶ τῆς περὶ τὸν οὐρανὸν καὶ κόσμον φυσιολογίας Tit. lxxx.
Περὶ Ἰατρῶν καὶ ἰατρικῆς Tit. cii.
Περὶ Κακίας Tit. ii.
Περὶ Κακοδαιμονίας Tit. civ.
Ὑπὲρ Κάλλους Tit. lxv.
Κατὰ κάλλους Tit. lxvi.
Περὶ Κολακείας Tit. xiv.
Περὶ Λήθης Tit. xxvi.
Περὶ Λύπης Tit. xcix.
Περὶ Μνήμης Tit. xxv.
Περὶ Μνηστείας Tit. lxx.
Ὅτι κάλλιστον ἡ Μοναρχία Tit. xlvii.
Περὶ Ναυτιλίας Tit. lix.
Περὶ Νεότητος Tit. lii.
Περὶ Νηπίων Tit. lxxviii.
Περὶ Νόμων καὶ Ἐθῶν Tit. xliv.
Περὶ Νόσου καὶ τῆς τῶν κατ' αὐτὴν ἀνιαρῶν λύσεως Tit. c.
Περὶ Ξένης Tit. xl.
Οἰκονομικὸς, περὶ γυναικός τε, καὶ περὶ τῆς κατὰ τὰς οἰκίας ἐπιμελείας, καὶ περὶ γυναικῶν παραγγέλματα Tit. lxxxv.
Περὶ Ὀργῆς Tit. xx.
Περὶ Ὅρκου Tit. xxvii.
Ὅτι καλὸν τὸ ἔχειν Παῖδας Tit. lxxv.
Ὅτι ῥᾷον ἄλλον Παραινεῖν ἢ ἑαυτὸν Tit. cxiv.
Παρηγορικὰ Tit. cxxiv.
Περὶ Παρρησίας Tit. xiii.
Ὁποίους τίνας χρὴ εἶναι τοὺς Πατέρας περὶ τὰ τέκνα Tit. lxxxiii.
Περὶ Πατρίδος Tit. xxxix.
Περὶ Πένθους Tit. cxxii.
Πενίας ἔπαινος Tit. xcv.
Πενίας ψόγος Tit. xcvi.
Σύγκρισις Πενίας καὶ Πλούτου Tit. xcvii.
Ἐπαίνος Πλούτου Tit. xci.
Ὅσα Πλοῦτος ποιεῖ διὰ τὴν τῶν πλείστων ἄνοιαν Tit. xcii.
Ψόγος Πλούτου Tit. xciii.
Ὅτι τὰ χρήματα ἀβλαβῆ συμμέ-

τρως καὶ δικαίως πορισθέντα, καὶ ὅτι τῶν μέσων ὁ Πλοῦτος Tit. xciv.
Περὶ Πολέμου Tit. l.
Περὶ Πολιτείας Tit. xliii.
